




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,
Sev Svpplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac
publicis Ecclesiae de causis in ...**

Coloniae Agrippinae, 1640

urn:nbn:de:hbz:466:1-9480



18

Th. 2218.

G. II
A

*Ex Legato Celsi Principis Ferdinandi
paderborn*

DIRECTORIVM.

SERVANDI
PVB LICAS,
SACRASQVE
PROCESSIONES, SEV
SVPPPLICATIONES, TAM ORDINARIAS,
quæ fiunt certis diebus per annum;
quàm extraordinarias, quæ varijs ac
publicis Ecclesiæ de causis in dies
indicuntur auctoritate
Episcoporum.

RITVALIS ITEM LIBELLVS IN
Processione funebri perutilis.

Collegium S. E. V. I. S. V. Paderborn

Praxis & ordo sepeliendi mortuos
tam adultos, quàm paruulos.

MODVS ITIDEM

CELEBRANDI PRECES
40. aut 10. horarum, vel aliarum quarumcunq; coram
Venerabili Sacramento, cum debitis carimonijs, reueren-
tia, pietate & fructu in Ecclesijs tam Collegiatis
& Conuentualibus, quàm
Parochialibus.

* *
*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud HARTGERVM WORINGEN.

Anno M. DC. XL.

Cum permissu Superiorum.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]



INDEX ET ORDO
RERVM QVÆ IN HOC
libello continentur.

| | |
|---|--------|
| D E Processionibus, | pag. 1 |
| De Processione in festo Purificationis B. Mariæ Virginis, | 3 |
| De Processione in die Palmarum, | 5 |
| De Festo S. Marci, | 6 |
| Ordo seruandus in Litaniarum maiorum Processione, & Rogationum, | 9 |
| De Litanis minoribus, | 13 |
| Ordo seruandus in Litaniarum minorum Processione, | 15 |
| De Festo Corporis Christi, | 16 |
| De Processione in Festo sanctissimi Corporis Christi, | 16 |
| In statione prima. pag. 20. in secunda. pag. 26. in tertia. pag. 28. in quarta. pag. 30. | |
| De Processione ad petendam pluuiam, | 33 |
| De Processione ad postulandam serenitatem, | 36 |
| Preces ad repellendam tempestatem, | 38 |
| Preces dicenda tempore penurie & famis, | 42 |
| Processio tempore mortalitatis & pestis, | 42 |
| Preces dicenda in Litanis tempore belli. | 45 |
| Processio in quacunque tribulatione, | 52 |
| Preces dicenda in processione pro gratiarum actione, | 55 |
| De Processione in translatione sacrarum Reliquiarum, | 64 |
| Litania omnium Sanctorum, | 65 |
| Litania B.V. Lauretana, | 81 |
| | De |

I N D E X.

| | |
|---|-----|
| <i>De Processione Funebris & Exequiarum ordine, ac cura pro defunctis gerenda,</i> | 85 |
| <i>Quibus non liceat dare Ecclesiasticam sepulturam,</i> | 89 |
| <i>Officium sepultura adulti siue Clerici siue Laici extra lo- cum sepulchri,</i> | 91 |
| <i>Post Missam defuncti quid agendum.</i> | 96 |
| <i>Quid in ipso loco sepultura, quando defunctus sepeli- tur,</i> | 99 |
| <i>Alius modus sepeliendi funus.</i> | 101 |
| <i>De officio faciendo in exequijs absente Corpore defuncti, & in die tertio, septimo, trigesimo, & anniuersa- rio.</i> | 103 |
| <i>De Exequijs Paruulorum,</i> | 105 |
| <i>Ordo sepeliendi paruulos,</i> | 107 |
| <i>Ordo sepultura paruulorum breuior, & minus solem- nis,</i> | 115 |
| <i>De sepultura paruulorum non baptizatorum,</i> | 119 |
| <i>De Precibus Quadraginta horarum,</i> | 121 |
| <i>Modus celebrandi 40. horarum Preces §. I. & seqq.</i> | |
| <i>Quid obseruandum in Missa, qua celebratur in Altari, in quo Venerabile est expositum,</i> | 135 |
| <i>De Precibus 10. horarum,</i> | 141 |
| <i>De alijs Orationibus,</i> | 142 |



DE

DE PROCESSIONIBVS.

Processio, quasi progressio à procedendo in publicum: Duran. lib. 2. cap. 10. De cuius vsu antiquissimo. Tertulianus lib. 2. ad uxorem meminit, & Ambros. Sermonè 8. Publicæ autem huiusmodi Sacræq; Processiones, seu supplicationes, quibus ex SS. Patrum instituto Catholica Ecclesia vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad Commemoranda Dei beneficia, eiq; gratias agendas, vel ad diuinum auxilium implorandum vti consuevit, qua par est religione celebrari debent: Continent enim magna ac diuina mysteria, & salutare Christianæ pietatis fructus eas piè exequentes à Deo consequuntur; de quibus fideles præmonere & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.

Videant inprimis Sacerdotes, alijq; Ecclesiastici Ordinis, vt in his Processionibus ea modestia ac reuerentia tum ab ipsis, tum ab alijs adhibeatur

A

quæ

quæ pijs & religiosis huiusmodi actionibus maximè debetur.

Omnes decenti habitu, superpelliceis, vel alijs sacris vestibus, sine galeis; nisi pluvia cogente, induti, graui-ter, modestè, ac deuotè bini suo loco procedentes, sacris Precibus ita sint intenti, vel remoto risu, mutuoq; colloquio, & vago oculorum aspectu, populum etiam ad piè deuoteque precandum inuitent.

Laici à Clericis, femina à viris separatae orantes prosequantur.

Præferatur Crux, & vbi fuerit consuetudo, vexillum sacris Imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma.

Edendi ac bibendi abvsum, secumque esculenta, & poculenta deferendi in sacris Processionibus, agrisque lustrandis, & suburbanis Ecclesijs visitandis tollere Parochi studeant: ac fideles, præsertim die Dominica, quæ proximè Rogationes antecedit, quàm hoc dedeceat corruptela, sa pius admoneant.

Processiones prius fieri debent, de-
inde

inde Missa solemniter celebrari; nisi aliter ob grauem causam interdum Ordinario vel Clero videatur.

Processionibus autem quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, vt in festo Purificationis B. Mariæ semper Virginis & in Dominica Palmarum, & in Litanij maioribus in festo Sancti Marci, & in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, & in die festo Corporis Christi, vel alijs diebus pro Consuetudine Ecclesiarum.

Quædam verò sunt extraordinariæ, vt quæ varijs ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur auctoritate Episcoporum.

DE PROCESSIONE in die festo Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis.

*Completa benedictione & distributione
candelarum vt in Missali reformato,
A 2 fit*

fit Processio. Et primò Celebrans imponit incensum in thuribulum.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante : deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accensis: sequitur Clerus per ordinem, suo loco Celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus: & cantantur Antiphonæ designatæ in Missali.

Finita Processione cantatur Missa. Et candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur Euangelium, & iterum ad elevationem Sacramenti usq; ad Communionem.

Mentionem fecimus Crucis cum luminibus, cuius auctorem faciunt S. Iohannem Chrysostrum Socrates & Sozomenus à Casare Franciotto in Obser. Circa mysteria totius anni.

Cruces autem à Regularibus cum velo pendente, seu pallio deportari debet, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 14. Ianuarij 1617. ad indicandam inferioritatem respectu Cleri sæcularis; eadem ratione, qua Baculo Abbatiali appenditur velum, seu sudarium nodo eiusdem ad differentiam

Baculi

DE PROCESSIONIBVS.

Baculi Episcopalis, quod notatur in actis Eccl. Mediolan. de Supell. Eccl. lib. 2. Et imago Christi terga debet vertere Clero sequenti, quasi Christus præire videatur, nisi sit Archiepiscopalis, vel Papalis, in qua imago Crucifixi respicit Archiepiscopum, vel Papam, ut indicatur in Cæremon. Episcop. lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 16.

DE PROCESSIONE in die Palmarum.

IN Dominica Palmarum, facta benedictione ut in Missali & distributione Palmarum seu Oliuarum, post ultimam, Orationem fit Processio, ac primum Celebrans imponit in censum in thuribulum.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accensis: sequitur Clerus per Ordinem, suo loco Celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum ramis in manibus: & cantantur Antipho-

A 3 na quo-

na quousque durat processio, & fiunt reliqua omnia ut in Missali.

Finita Processione dicitur Missa, & rami tenentur in manibus, dum cantatur Passio & Evangelium tantum.

DE FESTO S. Marci.

ANtiquissimus mos est in Ecclesia Romana celebrandi Processiones ac Litanias annuas, teste S. Gregorio M. Papa lib. 2. Epl. qui anno Christi. 591. cū Romæ furentē in dies acrius pestilentia Vrbs assiduis funeribus exhauriretur & mœstum ubiq; silentium, tristisq; luctus, passim vniuersam Ciuitatem prementiu malorum magnitudine, iam prope animum despondentem teneret; iv. Kal. Septembris, populum ad concionem, in Basilicam S. Sabinae ad Auentinum vocauit: & Diuino repletus spiritu, propter peccata populi ea flagella immitti, dixit, precandum esse Deum, lacrymis, oratione, & penitentia ante actæ vitæ, vt furorē, & iram suam

suam temperaret. Feria igitur quarta prima luce, iubet Clerum egredi ab æde SS. Cosmæ, & Damiani, cum presbyteris regionis sextæ, omnes verò Abbates cum Monachis suis, ab æde SS. Martyrum Geruasij, & Protasij, cum presbyteris regionis quartæ; omnes Abbatissas cum Congregationibus suis, ab æde SS. Martyrum Marcellini, & Petri, cum presbyteris regionis primæ; omnes pueros & puellas, ab æde SS. Martyrum Ioannis, & Pauli, cum presbyteris regionis secundæ; omnes laicos ab æde S. Martyris Stephani cum presbyteris regionis septimæ; omnes mulieres viris orbatas ab æde S. Euphemie, cum presbyteris regionis quintæ; omnes coniugio sociatas, ab æde S. Martyris Clementis, cum presbyteris regionis tertie; è singulis autem ædibus, in hunc modum egressi, in ædem. B. Mariæ semper Virginis, Matris IESV Christi Domini nostri conuenientes; ac longis ibi fletibus, ac gemitibus Domino supplicantes, peccatorum suorum veniam implorarent.

Iussit præterea, vt conuocati clericorum chori, per triduum psallerent, ac Domini misericordiam inuocarent. Itaque ab illo traditum, nunc quoq; manet, vt post Missarum introitum nouies Domini, Christiue misericordiam per Kyrie eleison Christe eleison implorarent:

Hora igitur tertia venerunt ipsi cantentium chori per campos Urbis clara voce misericordiam Domini deprecantes. Dum autem populus supplices ad Deum preces effundit, repente Octuaginta homines in turba exanimis conciderunt. Quod vbi Gregorius animaduertit, continuo populum monuit, ne ab obsecratione cessaret, sed multò intentius, in studium diuinæ precationis incumberet.

Hæc Litaniæ eius, quæ Maior appellatur, & in Festo S. Marci ab Ecclesia celebratur, vetus ritualibus in libris origo refertur. *Hæc Alfonsus Ciacon de vita & Gestis summ. Pontificum Anno Domini DXC.*

Vnde Pastores ac prædicatores tanto magis populū instruere & excitare debent

debent, ad implorandam diligenter
Dei misericordiam & auertendum
hoc malum hisce prouincijs prò dolor
fatis commune & vulgare.

ORDO SERVANDVS
in Litaniarum Maiorum
Processione, quæ in fe-
sto S. Marci cele-
bratur.

CLerus & populus hora statuta mane in
Ecclesia congregati omnes contrito &
humili corde Deum flexis genibus paulisper
precentur, sacerdos pluuiali cum Ministris,
vel saltem superpelliceo & stola violacei co-
loris sit indutus, cuius coloris habitu in reli-
quis Processionibus semper utatur, præter-
quam in processionibus Corporis Christi, &
quæ sunt solemnibus diebus, vel in gratia-
rum actionem, quibus diebus utitur colore
proprie solemnitati congruente. Cateri ve-
ro sacerdotes & Clerici habitu Choralis in-
duti sequentem Antiphonam stantes con-
cinant.

A S

Antiph.

Antiph. Exurge Domine, adiuua nos
& libera nos propter nomen tuum.

Psalms. Deus auribus nostris audiui-
mus; patres nostri annunciauerunt
nobis, Gloria, &c.

*Repetitur Antiphona, Exurge Domine
&c.* Deinde genu flectant omnes, & duo
Clerici ante Altare maius genuflexi deuotè
Litanijs cantare incipiant, ceteris eadem
voce respondentibus. Cum autem canta-
tum erit. Sancta Maria, Ora pro nobis.
Surgunt omnes & ordinatim procedunt,
egredientes, Litanijsque prosequentes, præ-
cedente Cruce & sequente Clero, suo lo-
co sacerdos paratus, ut supra dictum est, cum
Ministris, prout res vel locus postulat, sa-
cris vestibus indutis.

Si processio sit longior, vel repetantur Li-
tania, vel Litanijs absolutis, usque ad pre-
ces exclusiue Dicantur aliqui Psalmi ex Pœ-
nitentialibus seu Gradualibus, Hymni vero
vel cantica Letitiæ in ijs, vel in Rogatio-
nibus, aut alijs Pœnitentiæ causa institutis
Processionibus non dicantur, potest tamen
populus iuxta laudabilem consuetudinem
patriæ in his Processionibus etiam aliquid
vernacula lingua cantare.

Si

Si ad unam vel plures Ecclesias in via sit diuertendum, ingressis Ecclesiam, intermissisque Litaniis vel Psalmis cantatur Antiphona, cum versu & Oratione Sancti Patroni illius Ecclesie, Deinde egredientes resumptis precibus eodem ordine procedunt usque ad Ecclesiam, ubi cum precibus & orationibus omnibus processio terminatur, ut in fine Breuiary post psalmos Pœnitentiales.

Si occurrunt Litanie Maiores in Paschate, quod accidit anno 1666. & quando littera Dominicalis est C. & Epacta xxv. vel xxiv. eo casu transferendæ sunt in Feriam tertiam ex Decreto S. ritum Congregationis die 25. Septembris 1617. cum Processione, in diem quidem festum, ut populus adsit, non tamen in die Paschatis ne populus impediatur à Communione Paschali, neue tristari videatur vel minimum in tanta solemnitate, colore violaceo adhibito, & Missa cantata de luctu: & consequenter Litanie à priuatis in eadem Feria recitandæ erunt.

Qui tenentur recitare horas Canonicas & etiam iusta de causa impediti
non

non interfunt Processioni huic, seu in Litanijs Maioribus siue Minoribus, recitare debent priuatim Litanias sub graui peccato, *ex Suar. lib. 4. de Hor. Can. cap. 25. num. 8. & 9.* Et licet oremus stantes tempore Paschali, tamen ij, qui, vt dictum est, non interfunt Processionibus, flexis genibus eas recitare debent.

Caueant ij, qui in Processione fabulantur & materialiter tantum cantant cum alijs Litanias, vel non cantant, ne rei fiant coram Deo: Communis enim est opinio, eos teneri ad priuatam earundem recitationem, quia inter absentes eo modo numerantur.

Hac die S. Marci, cum Litanix fiunt, Secundum antiquam consuetudinem Diœcesis Coloniensis à carnibus abstinento à fidelium populis ieiunetur. *Ita Statuta Henrici Arch. Col. 1307. 4. Martij cap. 3.*

DE

DE LITANIIS

Minoribus.

Litaniæ minores id est Rogationes Latinè , seu deprecationes fiunt triduo ante Ascensionem ; de quibus *August. Serm. 173. de Tempore & in Concilio Aurelianensi cap. 29. de Cons. Dist. 3. cap. Rogationes.* In postrema Martyrologij Romani recognitione ii. Maij harum institutor est appellatus S. Mammertus Episcopus Viennensis in Gallijs, ob incurSIONEM luporum in damnum grauissimum populorum. Quæ ideo appellatæ sunt Minores , quia à minori Episcopo , si ille auctor est vel restitutor, & in minori loco respectu S. Gregorij Papæ & vrbis Romæ. *Durand.*

Litania hæc minor secundum antiquam consuetudinem Diœcesis Coloniensis à carnibus abstinendo à fidelium populis ieiunetur. *Ita statuta Synod. Henrici Archiep. Colon. 1307. 4. Martij c. 3.* Litanijs porro his omnes interesse iubentur , vt quemadmodum omnes peccauerunt , sic & omnes pro venia
suppli-

supplicent, omnesq; ad Deum corda cum manibus eleuent. Quanquam potissimum Litaniam istam principio instituta sunt, ut tum populus Diuina institutione admonitus, clementiam Dei exoret, quo pestes, clades, Calamitates, fames, bella, & id generis aduerla, quæ nobis iustissimo Dei iudicio ob peccata nostra infliguntur, ac sub id anni tempus, nempe veris (quum bella emergere, atque terræ fructus, qui tunc in flore, atque teneri adhuc sunt, facile corrumpi solent) potissimum imminent, auertat & tollat. Ut autem Ecclesia fiduciam erga Deum (quam orantes ac perentes habere necesse est) tum nobis adaugeat, Heliam proponit hominem nobis similem & passibilem, qui oratione orauit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex: & rursus orauit, & calura dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. *Iaco. ult. 3 Reg. 17.* Quod si solus Helias petens exauditus est, num Christus Ecclesiam suam preces auersabitur. *Ita Conc. prouinc. Colon. sub Adolpho 1536. parte. 9. cap. 7.*

IN

IN HIS LITANIIS
seruantur omnia vt supra
in maioribus,

Titulo: *Ordo seruandus in Li-
taniarum maiorum Pro-
cessione.*

NOtandum si alicubi consuetudo
fit in Litanij tam maioribus quã
minoribus, vel etiam alijs diebus per
annum circumferendi Sanctorum Re-
liquias in Processione, vt id fiat decen-
ter, ac ea, qua par est, reuerentia, orna-
tu, cultu & honore vti habetur *lib. 6.
Const. Apost. cap. 30.* Et *S. Basilio teste* hoc
ipsum quod erga conseruos bonos ho-
nor, erga ipsum Dominum commune
beneuolentiã signum exhibetur, vnde
omnino decet, vt huiusmodi sacræ Re-
liquiã a Clericis pluuiali, aut alijs sacris
venibus, vel saltem superpelliceo in-
dutus deportentur.

DE

DE FESTO Corporis Christi.

INstitutum est hoc festum Corporis Christi cum Octaua ab VRBANO IV. 1262. ab Eugenio IV. 1433. confirmatum, ob causam quam reddit S. Thomas *in Officio eiusdem Festi*, cuius officij & ipse fuit auctor, vt in eiusdem opusculo 57. Leodienses primo celebrarunt illud, *Bzouius anno 1230. n. 16.*

DE PROCESSIONE in festo Sanctissimi Cor- poris Christi.

F*it hodie Processio solemnissima in paramento albis. Ornanda igitur imprimis decenter Ecclesia, & omnes viae ac plateae, per quas Venerabile Sacramentum portabitur, sint mundatae & ornatae arboribus frondibus, floribus, gramine, tapetibus & aulais, & sacris imaginibus, non autem profanis aut vanis figuris seu indignis ornamentis.*
Depu-

Deputentur principales aliquot viri pro portanda Umbella seu baldachino, sub quo sacerdos cum Venerabili Sacramento processionaliter ire debet (vocatur Mappula ab Innoc III. lib. 2. Mist. Miss. cap. 7) & in distributione hastarum eiusdem nobilioribus seu principalioribus dantur ea quæ sunt in facie Celebrantis, posteriores minus principalibus, Cæremon. Pap. lib. 2. c. 14. & Cæremon. Episc. lib. 1. cap. 14. conueniret tamen, vt hodie & alijs diebus per Octauam (quibus fieri solent iuxta loci consuetudinem plures Processiones) ab Ecclesiasticis cum pluuiialibus deferrentur hasta saltem per templum, quod si tunc desint pluuialia, non ideo induant Stolas Cottis tantum seu superpelliceis induti, ex Cærem. Episc. lib. 2. cap. 25. & 26.

Notandum hic etiam, si alicubi consuetudo vigeat, vt in tali Processione quatuor Euangeliorum initia in quatuor distinctis locis cantentur, versus quatuor mundi plagas, tunc in locis huiusmodi; Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem respicientia quatuor Altaria ex ligno cum Umbellis seu tectis pulchrè ac decenter ornata, & Corporalibus mundis stra-

ta super quibus collocari possit Monstrantia, dum dicta Euangelia canuntur, erecta sint.

Parati etiam sint quatuor vel duo saltem Diaconi predicta Euangelia cantaturi.

Indui possunt aliquot puerorum paria ad formam Angelorum cum sertis in capite, quorum aliqui canistris deferant folia rosarum, versus Venerabile Sacramentum quandoque in Processione seminanda, alij Cymbala portent, alij arma seu Mystera Passionis Domini, &c.

Sacerdos primò Missam celebret, in qua duas hostias consecret, & sumpta una, alteram in Tabernaculum gestatorium in Processione deferendum (Monstrantiam vocant) ita reponat, ut per vitrum seu Crystallum exterius adorantibus appareat, veloq; operiatur, donec auferatur ab Altari; peracto autem sacrificio Missæ, iuxta ritum qui prescribitur inferius Tract. De precibus 40. horarum. titul. De his quæ addenda sunt in Missa quæ celebratur ad Altare, in quo expositum est sanctissimum Sacramentum. Et processione iam inchoata, ordine quo supradictum est in Litanijs Maioribus precedentibus Confraternita-

mitatibus laicorum (si qua sint) cum suis Vexillis, & Religiosis cum sua Cruce, quæ velumpendens seu pallium habere debet, vt supra diximus Tit. de Processione in festo Purificationis sub finem, ac alijs qui interesse solent vel debent Processioni tali iuxta morem & laudabilem cuiuslibet Ecclesie consuetudinem; Sacerdos pluuiali albo indutus, imposito thure in duo Thuribula sine benedictione ter incensat cum altero eorum Sacramentum genuflexus.

Notent autem, quod stola vna cum Alba & Pluuiali, in modum Crucis ante pectus gestari debeat cingulo de more coniuncta, & vtrimque colligata, non autem pendula, quod Episcoporum proprium est; quod si adhibeatur vna cum superpelliceo, soluta pendebit à collo hinc inde, quia ligari in modum Crucis non potest; & eodem modo siue cum pluuiali siue absque eo adhibeatur illa.

Deinde Diaconus oblongum ac decens velum circumponit scapulis sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta Ostensorium seu Tabernaculum, à Diacono sibi porrectum reuerenter su-

scipit in supremo Altaris gradu, mox ad Altare ascendit, & sacramentum ante faciem tenens, vertit se ad populum, inde descendit, sub Baldachinum comitantibus Ministris, & duo Acolythi vel Clerici cum praedictis thuribulis effumantibus praecedunt.

Omnes praecedent nudo capite, accensos Cereos, quantum fieri potest, gestantes & consuetos Hymnos, &c. pro longitudine Processionis deuotè concinentes. Dum vero sacerdos discedit ab Altari, Clerus vel sacerdos cantare incipit Hymnum: Pange lingua &c.

APVD PRIMVM Altare seu Stationem.

V*bi ad primum Altare peruentum fuerit (intellige in ijs Ecclesiis, in quibus haec laudabilis consuetudo viget, vt supra diximus) sacerdos deposito reuerenter & thurificato Sacramento quiescit parum cum Ministris, interim canitur aliquod Motetum vel Responsorium de tempore.*

Circa finem cantus, vnus ex dictis Diaconis cantaturus initium primi Euangelij
ex

ex dictis quatuor, (quæ habentur ordine impressa in Rituali seu Pastoralis Colonienſi) deſert & ponit librum Euangeliorum à Miniſtro de eo ſeruiente ſibi porrectum, ſuper Altare, Officiator ſtans imponit ſine benedictione interim incenſum, miniſtrante alio Diacono nauiculam, & Thuriferario Thuribulum, Diaconus uero cantaturus genuflexus ante Venerabile Sacramentum orat: Munda cor meum &c. ſuper ſupremo Altaris gradu altiori ſi plures ſint, in quo etiam accipiens prius librum Euangeliorum ab Altari Officiatorem ſtantem in latere Euangelij, non omnino conuerſus ad eum petit benedictionem ab eodem dicens: Iube Domne benedicere non Domine (nam hoc Dei eſt, illud hominis præclari, ut probat Baron. Euodio lib. de Miraculis S. Stephani, Anno 416. ſed & S. Hieronymi tempore omnes Sancti, & homines alij vocabantur Domni, ſolus autē Deus Dominus) ad quem Officiator ſimiliter conuerſus dicit: Dominus ſit in corde tuo, &c. habita benedictione & oſculata Officiatoris manu diſcedit (facta prius Venerabili reuerētia) cū alio Diacono ad cantandū Euangelium, ut

Supra, primum portans librum ante pectus, precedentibus Thuriferario & duobus Acolythis cum candelabris accensis, ijs saltem qui Crucem Processionalem comitantur, aut alijs, prout fuerit copia eorum, & stans in loco Euangelij, altero Diacono librum tenente, medio inter dictos Acolythes tenentes Candelabra accensa canit: Dominus vobiscum iunctis manibus, & reliqua perficit, prout habetur in Missali nouissime recognito, de Ritu seruando in Celebratione Missæ. In fine librum tenens eum defert apertum ad Officiantem osculandum, nullam prius nec ipsi, nec Venerabili reuerentiam faciens, deinde tamē clauso libro reuerentiam faciet utrique debitam, mox Diaconus cantans thurificat officiatorem, qui tamen corā Prælato suo, sicuti non osculatur librum, ita neque incensatur, sed Prælato solum id congruit, ut pluribus locis docet Cæremon. Episc.

Quibus finitis, omnes flectant genua, cantetq; Chorus Antiph. si placet vel Motetam festo conuenientem.

Hinc Officiator cum Diaconis duobus assistentibus redit ad Venerabile Sacramentum, & facta debita reueren-

tia

tia ante illud stat, dum canitur à Diaconis vel Cantoribus:

Verf. Panem de cælo præstitisti eis, Allel.

Resp. Omnem delectamentum in se habentem. Allel.

Officiator canit stans vt prius.

O R E M V S.

DEVS qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari: vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, *Resp. Amen.*

Deinde Officiator imposito thure in thuribulum, vt supra, thurificat Venerabile Sacramentum; postea surgit, & stans versus sacram hostiam, alijs omnibus geneflexis, canit, respondente choro:

Verf. A fulgure & tempestate,

Resp. Libera nos Domine Iesu Christe.

Verf. Fiat misericordia tua Domine super nos.

Resp. Quemadmodum sperauimus in te.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

O R E M V S.

QVæsumus omnipotens Deus, vt in-
tercessione sanctæ DE I genitricis
Mariæ, & sanctorum Angelorum, Pa-
triarcharum, Prophetarum, Apostolo-
rum, Martyrum, Confessorum, Virgi-
num, & Viduarum, atq; omnium San-
ctorum tuorum, continuum nobis præ-
stes auxilium, tranquillam auram per-
mittas; atque contra fulgura & tem-
pestates desuper nobis indignis tuam
salutem effundas de cælis, & generi hu-
mano semper æmulas, dextera poten-
tiæ tuæ, aereas conteras potestates.
Per Christum Dominum nostrum.

Resp. Amen.

*Recepto deinde circa humeros (quod præ-
bet illi Diaconus) velo longiori vt supra, &
facta solita reuerētia, stansq; adhuc versus
Altare Monstrantiam in manibus tenens,
canit:*

Verf.

Verf. *Sit nomen Domini benedictum.*

Resp. *Ex hoc nunc & vsque in seculum.*

Verf. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

Resp. *Qui fecit caelum & terram.*

Benedictio DEI omnipotentis (& *faciat tres cruces*) Patris † & Filij † & Spiritus † sancti, descendat super nos & fructus terræ, & maneat semper.

Resp. Amen.

Prædicti tamen Verf. & Resp. potius Prælati mitratis & benedictis conueniunt, hinc alij simplices Sacerdotes ijs prætermis- sis absolute dabunt Benedictionem sine his verf. canentes vltima saltem verba: Benedictio Dei omnipotentis, &c.

Et statim incipitur per Clerum aut Cantores alius Hymnus, vel Responsorium, vel Psalmi, Credidi propter quod locutus sum &c. Laudate Dominum de cœlis, &c. vel similia. Et proceditur ad secundum Altare.

APVD SECVNDVM Altare seu Stationem.

Cum ad secundum Altare peruenerit Processio, seruata eadem serie & omnibus ceremonijs, quæ ad primum Altare prescripta sunt.

Delato per Diaconum secundum, libro, imposito incenso, idem Diaconus dicto: Munda cor meum, & c. habitaq; benedictione canit initium secundi Euangelij incensans librum triplici ductu interim dum Resp. Gloria tibi Domine.

Sacerdos in fine osculatur librum sibi delatum dicens:

Per Euangelia dicta
Deleantur nostra delicta.

Et incensatur more solito à Diacono, sic etiam ad reliqua Euangelia.

Verf. Panem cæli dedit eis, alleluia.

Resp. Panem Angelorum manducauit homo, alleluia.

O R E M V S.

DEVS qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuę memoriam
reli-

reliquisti; tribue quæsumus, ita nos
 Corporis & Sanguinis tui sacra myste-
 ria venerari: vt redemptionis tuæ fru-
 ctum in nobis iugiter sentiamus. Qui
 viuis & regnas in sæcula sæculorum.

Resp. Amen.

*Incensato Sacramento, Officiator stat vt
 supra versus Altare & canit:*

Verf. A fulgure & tempestate,

Resp. Libera nos Domine Iesu Christe.

*Verf. Fiat misericordia tua Domine su-
 per nos.*

Resp. Quemadmodum sperauimus in te.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

O R E M V S.

PArce Domine, parce populo tuo:
 & nullis nos patiaris aduersitati-
 bus, bellis, morbis, tempestatibus,
 ac periculis fatigari, quos precioso Fi-
 lij tui Domini nostri IESU CHRISTI
 Corpore & Sanguine redemisti. Per
 eundem Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

Da-

Datur benedictio vt supra, & clerus aut chorus incipit canere vti dictum est, & sic proceditur ad tertium Altare.

APVD TERTIVM Altare seu Stationem.

OMnia vt supra seruantur. Per Diaconum tertium (si tot sint,) defertur ad Altare liber, imponitur ab Officiatore incensum, & dicto Munda cor meum, &c. habitaq; benedictione Diaconus canit initium Euangelij tertij, & in fine eiusdem obseruentur ea quæ posita sunt post primum Euangelium.

*Verf. Cibavit illos ex adipe frumenti, all.
Resp. Et de petra melle saturavit eos, alleluia.*

O R E M V S.

DEVS qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacramenta venerari: vt redemptionis tuæ fru-

fructum in nobis iugiter sentiamus.
 Qui viuis & regnas in sæcula sæculo-
 rum, *Resp.* Amen.

*Officiator, thurificato Sacramento, facit
 omnia vt supra post primum Euangelium.
 Postea canit:*

Vers. A fulgure & tempestate,

Resp. Libera nos Domine Iesu Christe.

*Vers. Fiat Misericordia tua Domine su-
 per nos,*

Resp. Quemadmodum sperauimus in te.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

O R E M V S.

CLEMENTIAM tuam omnipotens
DEVUS suppliciter deprecamur, vt
 benedicere, visitare, & irrigare digne-
 ris fruges, & fines seruorum tuorum,
 noxias tempestates amoueas, inunda-
 tionem coerceas, imbriũ, spirituales
 repellas nequitas aërem salubrem in-
 dulgeas: & ab omni nos inimicorum
 infestatione in pace defendas, quos
 Corpore & Sanguine Filij tui à morte
 per-

perpetua redemisti. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Data benedictione ut supra, inchoatur denuò per Clerum aut Chorum Hymnus aliquis vel respons. &c. ut ante.

APVD QVARTVM Altare seu Stationem.

D*Elato libro, imposito incenso, & dicto: Munda cor meum, &c. per ultimum Diaconum accepta benedictione cantatur initium ultimi Euangely.*

Fiunt omnia ut supra.

Vers. Educas panem de terra, alleluia.

Resp. Et vinum letificat cor hominis, all.

O R E M V S.

D*Eus qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari: ut redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum.*

Resp. Amen.

Offi.

*Officiator, thurificato Sacramento, pergit
ut supra post primum Euangelium. Et ca-
nit:*

Verf. Afulgure & tempestate,

Resp. Libera nos Domine Iesu Christe.

*Verf. Fiat Misericordia tua Domine su-
per nos,*

Resp. Quemadmodum sperauimus in te.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

O R E M V S.

DEVS, qui singulari Corporis tui ho-
stia totius mundi soluisti delicta,
populum tuum quæsumus ad te con-
uerte propitius; vt à cunctis periculis
corporis & animæ liberetur, ab hosti-
bus visibilibus & inuisibilibus protega-
tur, optatâ aurg serenitatem, fructuum
vberratem, & temporum tranquillita-
tem obtineat, tuæque benedictionis
gratiam in omnibus experiatur. *Quæ*
viuis & regnas in sæcula sæculorum.

Resp. Amen.

DA-

Data benedictione, inchoat clericus aut chorus canere ut ante, & reditur ad Ecclesiam.

Peracta Processione repositoq; ab Officiatore Venerabili Sacramento super Altare maius, absque benedictione factaq; debita reuerentia, Hymnum Te Deum laudamus, clara & hilari voce, ante infimum gradum Altaris incipiant.

Quo finito omnes Ecclesiastici, comitantesq; Venerabile Sacramentum hinc inde ordine genuflexi, illud reuerenter adorantes. Sacerdos de more incensat, ac sequentes Hymni partes, Venerabile Sacramentum in manibus versus populum intonat:

*Tantum ergo Sacramentum &c.
Genitori, Genitoq;, &c.*

Quem chorus prosequitur cantando. Cantato versu, Sit & benedictio, &c. dat benedictionem more consueto. Defertq; Monstrantiam ad Tabernaculum solitum, quod thurificato Sacramento clauditur, & omnes extinctis candelis recedunt.

Vbi vero clerici vel cantores haberi non possunt, Parochus ruralis per seipsum omnia pro posse peragat.

DE PROCESSIONE ad petendam pluuiam.

Aguntur omnia, ut supra in Litanij
maioribus, vsq; ad finem Litaniarum,
in quarum Precibus bis dicitur: Ut con-
gruentem pluuiam fidelibus tuis con-
cedere digneris, Te rogamus audi nos
In fine postea dicitur: Pater noster. secre-
to. *Vers.* Et ne nos inducas in tentatio-
nem. *Resp.* Sed libera nos à malo.

Psalmus 146.

Laudate Dominum, quoniam bo-
nus est psalmus: Deo nostro sit iu-
cunda, decoraq; laudatio.

Ædificans Ierusalem Dominus: di-
spersiones Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde: & alli-
gat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stella-
rum: & omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, & magna
virtus eius: & sapientiæ eius non est
numerus.

G

Susci-

Suscipiens mansuetos Dominus:
humilians autem peccatores vsque ad
terram.

Præcinite Domino in confessione:
psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cælum nubibus:& parat
terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fœnum:
& herbam seruituti hominum.

Qui dat iumentis escam ipsorum:
& pullis coruorum inuocantibus eum.

Non in fortitudine equi volunta-
tem habebit: nec in tibijs viri benepla-
citurum erit ei.

Beneplaciturum est Domino super ti-
mentes eum:& in eis qui sperant super
misericordia eius.

Gloria Patri.

Quo finito dicantur Preces.

Vers. Operi Domine cælum nubi-
bus. *Resp.* Et para terræ pluuiam. *vers.* Ut
producat in montibus fœnum. *Resp.* Et
herbam seruituti hominum. *vers.* Rigat
montes de superioribus tuis. *Resp.* Et de
fructu operum tuorum satiabitur ter-
ra. *vers.* Domine exaudi orationem
meam.

meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

O R A T I O.

DEVS, in quo viuimus, mouemur, & sumus, pluuiam nobis tribue congruentem, vt præsentibus auxilijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiùs appetamus.

O R A T I O.

PRÆSTA, quæsumus omnipotens Deus, vt qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia tua semper protectione muniamur.

O R A T I O.

DA nobis, quæsumus Domine, pluuiam salutarem, & aridam terræ faciem fluentis caelestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum IESVM Christum, &c.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *vers.* Benedicamus

Domino. *Resp.* Deo gratias. *Vers.* Exaudiāt nos omnipotens & misericors Dominus. *Resp.* Amen. *Vers.* Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace. *Resp.* Amen.

PROCESSIO AD postulandam serenitatem.

O *Mnia vt supra in Litanis maioribus, & in Litaniarum Precibus bis dicitur: Vt fidelibus tuis aeris serenitatem concedere digneris, Te rogamus audi nos. Ad finem obsecrationum dicitur Pater noster, &c. Vers.* Et ne nos inducas.

Psalmus 66.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lx-

Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri.

Vers. Adduxisti Domine spiritum tuum super terram. *Resp.* Et prohibitæ sunt pluuiæ de cælo. *vers.* Cùm obduxero nubibus cælum. *Resp.* Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei.

Vers. Illustra faciem tuam Domine super seruos tuos; *Resp.* Et benedic sperantes in te. *vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ORATIO.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, &

C. 3

flagel-

flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

O R A T I O.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus, vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam sentiamus.

O R A T I O.

QVæsumus, omnipotens Deus, clementiam tuam, vt inundantiam coërceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis impertiri digneris. Per Dominum nostrum **I E S V M** Christum filium tuum, &c.

**PRECES AD REPEL-
lendam tempestatem.**

P*ulsantur campanæ, & qui adesse possunt, in Ecclesiam conuocatis, dicuntur Litaniæ ordinariæ, in quibus bis dicitur: A fulgure & tempestate, & post Litaniæ, Orationemq; Dominicam.*

Psal-

Psalms 147.

LAuda Ierusalem Dominum: lauda
Deum tuum Sion.

Quoniam confortauit feras porta-
rum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & ad-
ipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ:
velociter currit sermo eius.

Qui dat niuem sicut lanam: nebu-
lam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buc-
cellas: ante faciem frigoris eius quis
sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefa-
ciet ea: flabit spiritus eius, & fluent
aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Ia-
cob: iustitias & iudicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: &
iudicia sua non manifestauit eis.

Gloria Patri.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & ter-
ram. *vers.* Ostende nobis Domine mi-
sericordiam tuam. *Resp.* Et salutare tuū

C 4

da

da nobis. *vers.* Adiuua nos Deus salutaris noster. *Resp.* Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.

Vers. Nihil proficiat inimicus in nobis.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. *vers.* Fiat misericordia

tua Domine super nos. *Resp.* Quemad-

modum sperauimus in te. *vers.* Saluū

fac populum tuum Domine. *Resp.* Et

benedic hæreditati tuæ, *vers.* Non pri-

uabis bonis eos, qui ambulant in inno-

centia. *Resp.* Domine Deus virtutum,

beatus homo qui sperat in te. *vers.* Do-

mine exaudi orationem meam. *Resp.*

Et clamor meus ad te veniat. *vers.* Do-

minus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu

tuo.

Oremus. O R A T I O.

DEVS, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

O R A T I O.

ADomo tua, quæsumus Domine. spirituales nequitiæ repellantur, & ac-

& aerearum discedat malignitas tempestatum.

O R A T I O.

OMnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus; vt post noxios ignes nubium, & vim procellarum, in misericordiam transeat laudis comminatio tempestatum.

O R A T I O.

Domine I E S V, qui imperasti ventis & mari, & facta fuit tranquillitas magna, exaudi preces familiae tuae, & praesta; vt hoc signo sanctae Crucis ☩ omnis discedat saeuitia tempestatum.

O R A T I O.

OMnipotens & misericors Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conseruas: praesta supplicibus tuis; vt & tranquillitatibus optatae consolationis laetemur, & dono tuae pietatis semper vtamur. Per Dominum nostrum I E S V M Christum filium tuum, &c.

Aspergatur Aqua benedicta.

C 5

PRE

PRECES DICENDÆ
tempore penuriæ
& famis.

A *Guntur omnia ut supra in Litanys maioribus usque ad finem Litaniarum, in quarum Precibus bis dicitur : Ut fructus terræ dare & conseruare digneris. Post Litanias dicitur, Pater noster, &c. Ps. 22. Dominus regit me, &c. vers. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. Resp. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. vers. Oculi omnium in te sperant Domine. Resp. Et tu das illis escam in tempore opportuno. vers. Memento congregationis tuæ. Resp. Quam possedisti ab initio. vers. Dominus dabit benignitatem. Resp. Et terra nostra dabit fructum suum. vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

ORATIO.

I Neffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende,

vt

vt simul nos & à peccatis omnibus
exuas, & à pœnis, quas pro his mere-
mur, eripias.

O R A T I O.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ
supplicationis effectum, & fa-
mem propitiatus auerte; vt mortaliu
corda cognoscant, & te indignante
talia flagella prodire, & te miserante
cessare.

O R A T I O.

POpulum tibi subditum pro peccatis
suis fame laborantem ad te Domi-
ne conuerte propitius, qui quærenti-
bus regnum tuum omnia adiicienda
esse dixisti. Qui viuus & regnas cum
Deo Patre, &c.

PROCESSIONIO TEM-
pore mortalitatis &
pestis.

Fiat vt supra in Litanij maioribus, &
in Litaniarum precibus dicatur bis: A
peste

peste & fame, Libera nos Domine, & *infra suo loco*, Ut à pestilentia flagello nos liberare digneris, &c. *In fine Litaniarum dicitur*, Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c. *Psal. 6.* Domine ne in furore tuo arguas me, &c. *Vers.* Domine nō secundū peccata nostra facias nobis. *Resp.* Neque secundū iniquitates retribuas nobis. *vers.* Adiuua nos Deus salutaris noster. *Resp.* Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos. *vers.* Domine ne memineris iniquitatum nostrarū antiquarū. *Resp.* Citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. *vers.* Ora pro nobis sancte Sebastiane. *Resp.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi. *vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

O R E M V S.

EXaudi nos Deus salutatis noster, & intercedente beata & gloriosa Dei genitrice Maria semper virgine, & beato Sebastiano martyre tuo, & omnibus
San-

Sanctis, populum tuum ab iracundiæ
tuæ terroribus libera, & misericordiæ
tuæ fac largitate securum.

O R A T I O.

Propitiare Domine supplicationi-
bus nostris, & animarum & corpo-
rum medere languoribus, vt remissio-
ne percepta, in tua semper benedictio-
ne lætemur.

O R A T I O.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ
petitionis effectû, & pestilentiam
mortalitatemque propitiatur auerte;
vt mortalium corda cognoscant à te
indignante talia flagella prodire, & te
miserante cessare. Per Dominum no-
strum.

PRECES DICENDÆ
in Litaniis tempore
Belli.

P*Eractis omnibus, vt supra in Litanijs
maioribus, ad finem Litaniarum dicitur
Pater noster, &c. vers. Et ne nos indu-
cas*

cas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo.

Psalms 45.

DEus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inueniunt nos nimis.

Propterea nō timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatae sunt aquae eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Fluminis impetus latificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio eius, non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatae sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella vsque ad finem terræ.

Ar-

Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.

Vacate, & videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum:ceptor noster Deus Iacob.

Gloria Patri.

Vers. Exurge Domine adiuua nos.

Resp. Et libera nos propter nomen tuum.

Vers. Saluum fac populum tuum Domine. *Resp.* Deus meus sperantem in te.

vers. Fiat pax in virtute tua. *Resp.* Et abundantia in turribus tuis. *vers.* Esto

nobis Domine turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici. *vers.* Arcum contere, & confringe arma. *Resp.* Et scuta

combure igni. *vers.* Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. *Resp.* Et de

Sion tuere nos. *vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor

meus ad te veniat. *vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

O R E M V S.

DEVS, qui conteris bella, & impug-
natores in te sperantium poten-
tia

tia tuæ defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, vt inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

O R A T I O.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

O R A T I O.

Hostium nostrorum, quæsumus Domine, elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Dominum nostrum **I E S U M** Christum, &c.

Si verò bellum est contra Turcas, & alios infideles, vel hæreticos, inter Preces Litaniarū bis dicatur: Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos. & addatur: Vt Turcarum (vel hæreticorum) conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, Te rogamus, &c. & dicto Pater noster, dicatur

Psal-

Psalmus 78.

DEVS venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina seruatorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.

Vsquequò Domine irasceris in finem: accēdetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domi-

D

ne li-

ne libera nos : & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne fortè dicant in gentibus, Vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est: introëat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundùm magnitudinem brachij tui: posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ: confitebimur tibi in sæculum.

In generationem & generationem: annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri.

Vers. Saluos fac seruos tuos. *Resp.* Deus meus sperantes in te. *vers.* Esto nobis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *vers.* Nihil proficiat inimicus in nobis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. *vers.* Hostium nominis tui Domine elide superbiam. *Resp.* Et eorū contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. *vers.* Fiant tam-

tam-

tamquam puluis ante faciem venti.

Resp. Et Angelus Domini persequatur

eos. *vers.* Effunde iram tuam in gentes,

quæ te non nouerunt. *Resp.* Et in regna,

quæ nomen tuum non inuocauerunt.

vers. Mitte nobis Domine auxilium de

Sancto. *Resp.* Et de Sion tuere nos.

vers. Domine exaudi orationem meã.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum

spiritu tuo.

Oremus.

O R A T I O.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incurfione turbetur.

Oratio.

DEVS, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum, respice in auxilium Christianorum, vt gentes Turcarum (*seu hæreticorum*)

D 2

quæ

quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Dominum nostrum IESVM Christum, &c. Exaudiat nos Dominus. Amen.

PROCESSIONE IN QUACUNQUE TRIBULATIONE.

*S*ervatis omnibus, ut supra in Litanis maioribus, finitisq; Litanis, dicitur Pater noster &c. *vers.* Et ne nos inducas in tentationē. *Resp.* Sed libera nos à malo.

Psalms 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomē Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ eius.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem

DE PROCESSIONIBVS.

53

autem in nomine Domini Dei nostri
inuocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt; nos
autem surreximus, & erecti sumus.

Domine saluum fac regem: & exau-
di nos in die, qua inuocauerimus te.

Gloria Patri.

*Vel Psalm. 90. Qui habitat in adiuto-
rio, &c. Quo finito, dicuntur versus.*

vers. Deus refugium nostrum, & vir-
tus. *Resp.* Adiutor in tribulationibus.

vers. Saluos fac seruos tuos Domine.

Resp. Deus meus sperantes in te.

vers. Sanctus Deus, Sanctus fortis,
Sanctus immortalis. *Resp.* Miserere no-
bis.

vers. Adiuua nos Deus salutaris
noster. *Resp.* Et propter gloriam nomi-
nis tui Domine, libera nos.

vers. Domi-
ne exaudi orationem meam. *Resp.* Et
clamor meus ad te veniat.

vers. Domi-
nus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ORATIO.

NE despicias omnipotens Deus,
populum tuum in afflictione cla-
mantem, sed propter gloriam nominis
tui tribulatis succurre placatus.

D 3

Ora-

DIRECTORIUM
ORATIO.

Ineffabilem misericordiam tuam Domine nobis clementer ostende, vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his mere- mur, eripias.

ORATIO.

Concede nos famulos tuos, quæsu- mus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præfenti liberari tristi- tia, & æterna perfrui lætitia.

ORATIO.

Tribulationem nostram, quæsu- mus Domine propitius respice, & iram tuæ indignationis, quam iustè meremur, auerte.

ORATIO.

Deus refugium nostrum & virtus, adesto pijs Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta, vt quod fideliter petimus, efficaciter conse- quamur. Per Dominum nostrum Ie- SVM Christum, &c.

PRE-

PRECES DICENDÆ IN PRO-
 cessione pro gratiarum actione.

Initio Processionis cantatur Hymnus.

Te Deum laudamus:&c.

*Deinde dici poterunt Psalmi, qui sequuntur,
 prout tempus feret.*

Psalm. 65.

Iubilate Deo omnis terra, psalmum
 dicite nomini eius: date gloriam
 laudi eius.

Dicite Deo, quàm terribilia sunt o-
 pera tua Domine: in multitudine vir-
 tutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & psallat ti-
 bi: psalmum dicat nomini tuo.

Venite, & videte opera Dei: terribi-
 lis in consilijs super filios hominum.

Qui conuertit mare in aridam, in
 flumine pertransibunt pede: ibi læta-
 bimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æ-
 ternum, oculi eius super gentes respi-
 ciunt: qui exasperant, non exalcentur
 in semetipsis.

Benedicite gentes Deum nostrum:
 & auditam facite vocem laudis eius.

Qui posuit animā meam ad vitam: &
nō dedit in commotionē pedes meos.

Quoniā probasti nos Deus: igne nos
examinasti, sicut examinatur argentū.

Induxisti nos in laqueum, posuisti
tribulationes in dorso nostro: impo-
suisti homines super capita nostra.

Transiuimus per ignem & aquam:
& eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holo-
caustis: reddam tibi vota mea, quæ
distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum: in tribula-
tione mea.

Holocausta medullata offeram tibi
cum incenso arietum: offeram tibi bo-
ues cum hircis.

Venite, audite, & narrabo omnes
qui timetis Deum: quanta fecit animæ
meæ.

Ad ipsum ore meo clamaui: & exal-
taui sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo:
non exaudiet Dominus.

Propterea exaudiuit Deus: & atten-
dit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus: qui non amouit
ora-

orationem meam, & misericordiam
suam à me.

Gloria Patri.

Psalmus 80.

EXultate Deo adiutori nostro : iu-
bilate Deo Iacob.

Sumite psalmum, & date tympanū:
psalterium iucundum cum cithara.

Buccinate in Neomenia tuba : in
insigni die solemnitatis vestræ.

Quia præceptum in Israel est : & iu-
diciū Deo Iacob.

Testimonium in Ioseph posuit il-
lud, cū exiret de terra Ægypti : lin-
guam, quam non nouerat, audiuit:

Diuertit ab oneribus dorsum eius:
manus eius in cophino seruierunt.

In tribulatione inuocasti me, & li-
beraui te : exaudiui te in abscondito
tempestatis, probaui te apud aquam
contradictionis.

Audi populus meus, & cōtestabor te:
Israël si audieris me, non erit in te deus
recens, neq; adorabis deum alienum.

Ego enim sum Dominus Deus tuus,
qui eduxi te de terra Ægypti : dilata os
tuum, & implebo illud.

D 5

Et

Et non audiuit populus meus vocem
meam: & Israël non intendit mihi.

Et dimisi eos secundum desideria
cordis eorum: ibunt in adinuentio-
nibus suis.

Si populus meus audisset me: Israel
si in vijs meis ambulasset.

Pro nihilo forsitan inimicos eorum
humiliafsem: & super tribulantes eos
mifissem manum meam.

Inimici Domini mentiti sunt ei: &
erit tempus eorum in sæcula.

Et cibauit eos ex adipe frumenti: &
de petra melle faturauit eos.

Gloria Patri.

Psalmus 95.

CAntate Domino canticum nouū:
cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite no-
mini eius: annunciate de die in diem
salutare eius.

Annunciate inter gentes gloriam
eius: in omnib⁹ populis mirabilia eius.

Quoniam magnus Dominus, & lau-
dabilis nimis: terribilis est super omnes
deos.

Quoniam omnes dij gentium da-
monia:

monia: Dominus autem cœlos fecit.

Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius,

Tollite hostias, & introite in atria eius: adorete Dominum in atrio sancto eius.

Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Gloria Patri.

Psal.

Psalmus 99.

Iubilate Deo omnis terra : seruite
Domino in lætitia.

Introite in conspectu eius : in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est
Deus : ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus eius, & oues pascuæ eius : introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen eius, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia eius : & vsque in generationem & generationem veritas eius.

Gloria Patri. *Psal. 102.*

Benedic anima mea Domino : & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat oēs infirmates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Fa-

Faciens misericordias Dominus: & iudiciũ omnibus iniuriam patiẽtibus.

Notas fecit vias suas Moyſi: filijs Iſraël voluntates ſuas.

Miferator, & miſericors Dominus: longanimis, & multũ miſericors.

Non in perpetuum irasceatur; neque in æternum comminabitur.

Non ſecundũ peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundũ iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam ſecundũ altitudinem cœli à terra: corroborauit miſericordiam tuam ſuper timentes ſe.

Quantum diſtat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates noſtras.

Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.

Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus: homo ſicut fœnum dies eius, tamquam flos agri ſic effloreat.

Quoniam ſpiritus pertransibit in illo, & non ſubiſtet: & non cognosceat ampliũ locum ſuum.

Miſericordia autem Domini ab æter-

æter-

æterno : & vsque in æternum super ti-
mentes eum,

Et iustitia illius in filios filiorum: his
qui seruant testamentum eius.

Et memores sunt mandatorum
ipsius : ad faciendum ea.

Dominus in cœlo parauit sedem
suam : & regnum ipsius omnibus do-
minabitur.

Benedicite Domino omnes Ange-
lici eius: potentes virtute, facientes ver-
bum illius, ad audiendam vocem ser-
monum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes
eius: ministri eius, qui facitis volunta-
tem eius.

Benedicite Domino omnia opera
eius : in omni loco dominationis eius,
benedic anima mea Domino.

Gloria Patri.

Psalms 116.

LAudate Dominum omnes gen-
tes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos
misericordia eius : & veritas Domini
manet in æternum.

Gloria Patri.

Psal.

Pſalm. 148. Laudate Dominum de
cœlis, cum duobus ſequentibus, *Canticum.*
Benedicite omnia opera Domini, &c.
Canticum. Benedictus Dominus Deus
Iſraël, &c.

*Hac autem prædicta, prout longitudo iti-
neris poſtulauerit, vel omnia, vel ex parte
cantari poſſunt. Deinde in Eccleſia, ubi fit
ſtatio, ante Altare dicuntur ſequentes
Verſus, & Orationes. Verſ.* Benedictus
es Domine Deus patrum noſtrorum.
Reſp. Et laudabilis, & glorioſus in ſæcu-
la. *Verſ.* Benedicamus Patrem, & Filium
cum ſancto Spiritu. *Reſp.* Laudemus, &
ſuperexaltemus eum in ſæcula. *verſ.* Be-
neditus es Domine Deus in firma-
mento cœli. *Reſp.* Et laudabilis, & glo-
rioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.
verſ. Benedic anima mea Domino.
Reſp. Et noli obliuiſci omnes retribu-
tiones eius. *verſ.* Domine exaudi ora-
tionem meam *Reſp.* Et clamor meus ad
te veniat. *verſ.* Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. ORATIO.

DEVS, cuius miſericordiæ non eſt nu-
merus, & bonitatis infinitus eſt the-
ſaurus

faurus; pijsſimæ maiestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: vt qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas. ORATIO.

DEVS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. ORATIO.

DEVS, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis; sed pium precibus præstas auditum: pro postulationibus nostris votisque susceptis gratias agimus, te pijsſime deprecantes, vt à cunctis semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum &c.

DE PROCESSIONE IN TRANSLATIONE SACRARVM RELIQUIARVM
inſignium.

Ecclēſia, & via per quas tranſeundum eſt, quàm fieri poteſt, decentiùs ornentur. Sacerdotes, & miniſtri veſtibus induti albi vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, expoſcunt, & cum luminaribus accenſis omnes procedant, decantantes Litānias cum inuocatione Sanctorum, quorum reliquiæ deferuntur, & Hymnum Te Deum, &c. & Psalm. Laudate Dominum de cœlis. cum duobus ſequentibus, & alios Psalmos, & Hymnos de Proprio, vel de Comuni eorum Sanctorum, quorum Reliquiæ transferuntur.

LITA-



LITANIAE.

K Yrie-eleison.
 Christe-eleison.

Kyrie-eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de caelis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, miserere.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix, ora.

Sancta Virgo Virginum, ora.

Sancte Michael, ora.

Sancte Gabriel, ora.

Sancte Raphael, ora.

Omnes sancti Angeli, & Archange-
 li, orate pro nobis.

Omnes sancti Beatorum Spirituum
 ordines, orate.

E

Sancte

Sancte Ioannes Baptista, ora.

Sancti tres Reges, orate pro nobis.

Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.

S. Petre, ora.

s. Paule, ora.

s. Andrea, ora.

s. Iacobe, ora.

s. Ioannes, ora.

s. Thoma, ora.

s. Iacobe, ora.

s. Philippe, ora.

s. Bartholomæe, ora.

s. Matthæe, ora.

s. Simon, ora.

s. Thadæe, ora.

s. Matthia, ora.

s. Barnaba, ora.

s. Luca, ora.

s. Marce, ora.

Omnes sancti Apostoli, & Euangelistæ, orate pro nobis.

Omnes

DE PROCESSIONIBVS. 67

Omnes SS. Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
s. Stephane, ora.
s. Laurenti, ora.
s. Vincenti, ora.
s. Hypolite, ora.
s. Euergisle, ora.
s. Agilolphe, ora.
s. Engelberte, ora.
s. Elyphi, ora.
s. Maurine, ora.
s. Albine, ora.
s. Vitalis, ora.
s. Gregori Spoletane, ora.
s. Pauline, ora.
ss. Fabiane, & Sebastiane, orate.
ss. Fœlix & Nabor, orate.
ss. Fœlix & Adaucte, orate.
ss. Mauri, orate.
ss. Evvaldi, orate.
ss. Ioannes & Paule, orate.
ss. Cosma & Damiane, orate.

| | |
|---|----------------|
| s. Mauriti cum focis tuis, | orate. |
| s. Gereon cum focis tuis, | orate. |
| s. Victor cum focis tuis, | orate. |
| s. Cassi cum focis tuis, | orate. |
| Sancti Geruasi, & Protasi, | orate. |
| Omnes sancti Martyres, | orate. |
| s. Silvester, | ora. |
| s. Gregori, | ora. |
| s. Ambrosi, | ora. |
| s. Augustine, | ora. |
| s. Hieronyme, | ora. |
| s. Martine, | ora. |
| s. Nicolae, | ora. |
| s. Materne, | ora. |
| s. Seuerine, | ora. |
| s. Cuniberte, | ora. |
| s. Heriberte, | ora. |
| s. Anno, | ora. |
| s. Svuiberte, | ora. |
| s. Norberte. | ora. |
| Omnes sancti Pontifices, & Confes- siores, | orate Omnes |

DE PROCESSIONIBVS, 69

Omnes sancti Doctores, orate.
s. Antoni, ora.
s. Benedicte, ora.
s. Bernarde, ora.
s. Dominice, ora.
s. Francisce, ora.
s. Thoma de Aquino, ora.
s. Bruno, ora.
Omnes sancti Sacerdotes, & Leuitæ,
orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi, & Eremitæ,
orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora.
s. Agatha, ora.
s. Lucia, ora.
s. Agnes, ora.
s. Cæcilia, ora.
s. Catharina, ora.
s. Anastasia, ora.
s. Vrsula cum sodalibus suis. orate.
s. Anna, ora.
s. Elifabeth, ora.

E 3

S. Helena,

S. Helena,

ora.

Omnes sanctæ Virgines, & Viduæ,
orate pro nobis.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, inter-
cedite pro nobis.

Propitius esto, parce nobis Domine.

Propitius esto, exaudi nos Domine.

Ab omni malo,

Ab omni peccato,

Ab ira tua,

Ab imminentibus periculis,

A peste, fame, & bello,

A subitanea, & improuisa morte

Ab insidiis diaboli,

Ab ira, & odio, & omni mala
voluntate,

A spiritu fornicationis,

A fulgure, & tempestate,

A morte perpetua,

Per mysterium sanctæ incarna-
tionis tuæ.

Per aduentum tuum.

Libera nos Domine,

Per

Per natiuitate m tuam, libera.

Per baptismum, & sanctum ieiunium
tuum. libera.

Per Crucem & Passionē tuam, libera.

Per mortē, & sepulturā tuam, libera.

Per sanctam resurrectionē tuā, libera.

Per admirabilē ascensionē tuā, libera.

Per aduentum Spiritus sancti paracli-
ti, libera nos Domine.

In die iudicij, libera nos Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos.

Vt nobis parcas, te rogamus.

Vt nobis indulgeas, te rogamus.

Vt ad veram poenitentiam nos per-
ducere digneris, te rogamus.

Vt Ecclesiam tuam sanctam regere,
& conseruare digneris, te rog.

Vt domum Apostolicum, & omnes
Ecclesiasticos ordines in sancta re-
ligione cōseruare digneris, te rog.

Vt Turcarū, & Hæreticorum conatus
reprimere, & ad nihilum redigere

digneris, terogamus.
 Vt Imperatori nostro N. ac Regib. &
 Principibus Christianis pacem &
 veram cōcordiam donare digne-
 ris, terogamus audi nos.
 Vt Antistitem nostrum N. in sancta
 Religione & prosperitate conser-
 uare digneris, terogamus.
 Vt Ciuitatem & Dicecesim Coloni-
 ensem in sancta Religione & pace
 conseruare digneris, terogamus.
 Vt cuncto populo Christiano pacem,
 & vnitatē largiri digneris, te rog.
 Vt nosmetipsos in tuo sancto serui-
 tio confortare, & conseruare di-
 gneris, te rogamus audi nos.
 Vt mentes nostras ad cœlestia desi-
 deria erigas, terogamus.
 Vt omnibus benefactoribus nostris
 sempiterna bona retribuas, te rog.
 Vt animas nostras, fratrum, propinquo-
 rum, & benefactorum nostrorum ab
 eter-

DE PROCESSIONIBVS. 73

æterna dānatione eripias, te rog.
Vt fructus terræ dare, & conseruare
digneris, te rogamus.

Vt omnibus fidelib. defunctis requiē
æternam donare digneris, te rog.

Vt nos exaudire digneris, te rog.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mūdi,
parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mūdi,
exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mūdi,
miserere nobis,

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie-eleison.

Christe-eleison.

Kyrie-eleison.

Pater noster, *secreto.*

Vers. Et ne nos inducas in tentationē.

Resp. Sed libera nos à malo.

PSALMVS LXIX.

DEus in adiutorium meū intende:
Domine ad adiuuandum me fe-
stina.

Confundantur, & reuereantur: qui
quærunť animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant,
qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescētes: qui
dicunt mihi, euge euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui
quærunť te: & dicant semper ma-
gnificetur Dominus, qui diligunt
salutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper sum: Deus
adiuuā me.

Adiutor meus, & liberator meus es
tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Vers. Saluos fac seruos tuos.

Resp. Deus meus sperantes in te.

Vers.

DE PROCESSIONIBVS. 75

Vers. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici;

Vers. Nihil proficiat inimic⁹ in nobis.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Vers. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

Resp. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Vers. Oremus pro Pontifice nostro N.

Resp. Deus & Dominus noster eum saluum & incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum populum Sanctum Dei.

Vers. Oremus pro Imperatore nost. N.

Resp. Domine saluum fac Imperatorē & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

Vers. Oremus pro Antistite nostro N.

Resp. Dominus conseruet eum, & uiuificet eum, & beatum faciat eum

in ter.

in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Vers. Oremus pro benefactoribus nostris.

Resp. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomē tuum vitam æternam.

Vers. Oremus pro fidelibus defunctis.

Resp. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Vers. Requiescant in pace.

Resp. Amen.

Vers. Pro fratribus nostris absentibus.

Resp. Saluos fac seruos tuos, Deus meus sperantes in te.

Vers. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

Resp. Et de Sion tuere eos.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriã reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari; vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.

Ab Aduentu vsque ad Natiuitatem Domini.

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, verbum tuum Angelo nũtiantē, Carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis: vt qui verè eã Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur.

ANatiuitate vsque ad Purificationem.

DEus, qui salutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fœcunda humano generi præstitisti, tribue quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quã meruimus auctorem vitæ suscipere, Do mi-

num nostrum Iesum Christum filium tuum.

*A Purificatione vsque ad Aduentum
Domini.*

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsentis liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundum tuam clementiã in viam salutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Et famulos tuos Imperatorem & Antistitem nostros vnà cum grege illis commisso ab omni aduersitate custodi, pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.

Deus

DEus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum: populum tuum ad te reuertentem propitius respice: vt dũ tibi deuotus existit, iracundiæ tuæ flagella ab eo clementer amoueas.

DEus refugium nostrum, & virtus, adesto pijs Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, & præsta, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum, respice in auxilium Christianorum, vt gentes Turcarum, & Hæreticorum, quæ in sua feritate, & fraude confidunt, dextræ tuæ potentia conterantur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris,
quos

quos tuos fide & opere futuros esse
 prænoscis, te supplices exoramus, vt
 pro quibus effundere preces decreui-
 mus, quosque vel præsens sæculum
 adhuc in carne retinet, vel futurū iam
 exutos corpore suscepit, interceden-
 tibus omnibus Sanctis tuis, pietatis
 tuæ clementia omnium delictorum
 suorum veniam consequantur. Per
 Dominum nostrum Iesum Christū
 filium tuum, qui tecū viuit, & regnat
 in vnitate Spiritus sancti Deus: Per
 omnia secula seculorum.

Resp. Amen.

Vers. Domine exaudi orationē meā.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Exaudiat nos omnipotens, &
 misericors Dominus.

Resp. Et custodiat nos semper. Amen.

Vers. Fidelium animæ per misericor-
 diam DEI requiescant in pace.

Resp. Amen.

LITANIA

Lauretana.

KYrie eleison,
 Chriſte eleison,
 Kyrie eleison.
 Chriſte audi nos,
 Chriſte exaudi nos,
 Pater de cœlis Deus, miſere nobis,
 Fili Redēptor mundi Deus, miſerere.
 Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
 Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere.
 Sancta Maria, ora pro nobis.
 Sancta Dei Genitrix, ora.
 Sancta Virgo Virginum, ora.
 Mater Chriſti, ora.
 Mater diuinæ gratiæ, ora.
 Mater puriſſima, ora.
 Mater caſtiſſima, ora.
 Mater inuiolata, ora.
 E. Mater

| | |
|-------------------------|-------|
| Mater intemerata, | ora. |
| Mater amabilis, | ora. |
| Mater admirabilis, | ora. |
| Mater Creatoris, | ora. |
| Mater Saluatoris, | ora. |
| Virgo prudentissima, | ora. |
| Virgo veneranda, | ora. |
| Virgo prædicanda, | ora. |
| Virgo potens, | ora. |
| Virgo clemens, | ora. |
| Virgo fidelis, | ora. |
| Speculum iustitiæ, | ora. |
| Sedes sapientiæ, | ora. |
| Causa nostræ lætitiæ, | ora. |
| Vas spirituale, | ora. |
| Vas honorabile, | ora. |
| Vas insigne deuotionis, | ora. |
| Rosa mystica, | ora. |
| Turris Dauidica, | ora. |
| Turris eburnea, | ora. |
| Domus aurea, | ora. |
| Fœderis arca, | ora. |
| | Ianus |

DE PROCESIONIBVS. 83

Ianua cæli, ora.

Stella matutina, ora.

Salus infirmorum, ora.

Refugium peccatorum, ora.

Consolatrix afflictorum, ora.

Auxilium Christianorum, ora.

Regina Angelorum, ora.

Regina Patriarcharum, ora.

Regina Prophetarum, ora.

Regina Apostolorum, ora.

Regina Martyrum, ora.

Regina Confessorum, ora.

Regina Virginum, ora.

Regina Sanctorum omnium, ora.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,

Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,

Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,

Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

83

F 2

Kytic.

Kyrie-eleison.

Christe-eleison.

Kyrie-eleison.

Vers. Panem de cælo præstitisti eis.

Alleluia. vel Domine.

Resp. Omne delectamentum in se habentem, *Alleluia.*

Oremus.

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili &c.

Cum Oration. sequent. ut hic supra in Litanis Omnium SS.



DE PROCESSIONE

Funebri & Exequiarum

Ordine.

Hactenus de Processione,
& precibus pro varijs Ec-
clesiæ necessitatibus insti-
tuendis, de modo itidem &
ritu easdem celebrandi egi-
mus : nunc etiam aliqua de
Processione funebri, & si-
militer de modo ritu, ac
Ordine in Exequijs obser-
uando subijciemus.

Sequitur.

Cura pro defunctis gerenda.

Sacras cæremonias ac ritus, quibus
Sex antiquissima traditione, & Sum-
morum

F 3

morum

morum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequijs vti solet, tanquam vera religionis mysteria, Christianæque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio seruare debent, atque vsu retinere.

His itaque præstandis, qua par est modestia ac deuotione ita se habebunt, vt ad defunctorum salutem, simulque ad viuorum pietatem, quemadmodum verè sunt, non ad quæstum, eiusmodi ritus sanctè instituti esse videantur.

Nullum corpus sepeliatur, præsertim si mors repentina interuenerit, nisi post debitum temporis interuallum (nempe viginti quatuor horarum) si commodè fieri possit, ne vllum omninò de morte relinquatur dubium. Pro laudabili & antiquissima consuetudine Ecclesiæ, corpus adulti defuncti ante meridiem cum Missa, orationibusque, & caremonijs debitis (casu necessitatis excepto) sepelire conuenit, præsentem quidem corpore defuncti antequam sepultura tradatur.

Si

Si quis iuxta loci consuetudinem aut exigente necessitate die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis præsentente corpore celebrari poterit, dum tamen Conuentualis Missa, & Officia diuina ordinaria non impediantur, magnaue diei celebritas non obstat.

Caueant omnino Parochi aliisque sacerdotes, ne sepulturæ vel exequiarum seu anniuersarij mortuorū officij causa quidquam paciscantur, aut tanquam pretium exigant: sed ijs elæmosinis contenti sint, quæ aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit.

Cum autem antiquissimi ritus Ecclesiastici sit, cereos accensos in exequijs & funeribus deferre, cauendum ne eiusmodi ritus omittantur. Pauperes verò, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, vt proprijs impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, si fuerit, iuxta loci consuetudinem.

Vbi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Cœmiterijs, retineatur; at verò cui locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur. Cadauera autem prope altaria non sepeliantur. Sepulchra sacerdotum & Clericorum cuiusque Ordinis, vbi fieri potest à sepulchris laicorum separata sint, ac decentiori loco sita.

Sacerdos, aut cuiusvis Ordinis Clericus defunctus vestibus suis quotidianis communibus, vsque ad talarem vestem inclusiue, tum desuper sacro vestitu Sacerdotali vel Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & casula seu planeta violacea sit indutus.

Diaconus verò induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextera annectatur, & Dalmatica violacea.

Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo, & tunicella.

Alij præterea inferiorum Ordinum Clerici super pelliceo supra vestem talarem ornari debent, singuli prædicti cum tonsura ac birretis suis. Cor-

Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare maius, vel si conduntur in Capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria, quod etiam pro situ & loco fiat in sepulchro. Presbyteri verò habeant caput versus altare.

Nec exequiarum celebratio ultra sex septimanas à die obitus, nisi iustis de causis, per Ordinarium aut Decanum ruralem approbandis, differri debet.

Quod si dictis sex septimanis elapsis hæredes aut consanguinei defuncti, etiam postquam ad hoc à pastore præmoniti, & requisiti fuerint, illas celebrari non curent, Pastoris erit, hanc negligentiam Domino Ordinario, eiusque promotori denunciare.

QVIBVS NON LI- ceat dare Ecclesiasticam sepulturam.

Sacra sepultura nulli conceditur, qui
Smore Christi fidelium se per Sacra-
mentorum susceptionem ad salutarem

F § exitum

exitum non præparauerit: illis tamen, qui inopinata & subita morte hinc auferuntur, exceptis; quibus sacra sepultura concedenda erit, dum modo eos vitam Catholicis hominibus congruam egisse, & Sacrosanctis mysterijs dum uiuerent, in Paschate communicasse, constiterit.

Nullus etiam hæreticus, Iudæus, paganus, excommunicatus, & publicè denunciatus: sacra sepultura est cohonestandus: sicut nec manifestus fænerator, nisi aut de perceptis vsuris satisfecerit, aut de ijs restituendis sufficientem cautionem iuxta iuris dispositionem posuerit.

Arcendi sunt etiam à sepultura sacra, ij qui sana mente ex intentione seipso interemerunt, vel qui in duello occubuerunt. deinde Infantes mortui absque Baptismo.

OFFI-

OFFICIUM SEPULTURÆ
adulti siue Clerici, siue
laici extra locum sepulchri.

*C*um corpus defuncti fuerit sepeliendum, sacerdos habitu choralis & stola nigra indutus, procedit de Ecclesia, precedente Cruce & aqua benedicta, Clero, ordinate ad locum ubi iacet corpus, comitante: in domo defuncti, seu ante fores dicat.

Oremus pro fidei defuncto

(de functa)

Deinde legantur Psalmi:

Miserere: vel, De profundis.

Cum collecta sequente. ORATIO.

Suscipe Domine animam famuli tui
(famulae tuae) quam de ergastulo huius
saeculi vocare dignatus es, & libera eum
(eam) de principibus tenebrarum & locis
paenarum, ut absolutus (absoluta) omnium
vinculo peccatorum quietis ac
lucis aeternae beatitudine fruatur, &
inter

inter sanctos & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

Vers. Requiescant in pace. *Resp.* Amen.

Deinde aspergatur fumus aqua benedicta dicendo.

Rore caelesti perfundat animam tuam Deus, Pater † & Filius † & Spiritus † Sanctus, Amen.

Tunc etiam thurificetur.

Odore caelesti pascat animam tuam Deus, Pater † & Filius, † & Spiritus † Sanctus, Amen.

His dictis, per personas, pro cuiusq; loci more ad hoc assumptas, effertur fumus solemnibus orationibus deponendum, subsequentibus vicinis & amicis, ad hoc opus misericordiae convocatis, atque inter ducendum Parochus & alij Officiales, ac ministri Ecclesiae. praetermissis ad rem non pertinentibus colloquijs, cantant pro consuetudine loci Antiph. vel Respons. Media vita &c. Libera me Domine &c. Si longitudo via postulauerit cantentur graui voce seu dicantur alij Psalmi ex officio defunctorum, per clerum alternatiue.

De-

*Depositio corpore ad fores Ecclesia, vel
camiterij dicat rursus sacerdos.*

*Vers. Oremus pro fidei defuncto (vel
defuncta.)*

*Resp. Requiem æternam dona ei Do-
mine, & lux perpetua luceat ei.*

*Deinde legitur Psalmus: Miserere vel:
De profundis.*

*Vers. Requiem æternam dona ei Do-
mine.*

Resp. Et lux perpetua luceat ei.

Antiphona.

*Animam de corpore quam hodie as-
sumpsisti Domine, fac eam gaudere cum
sanctis tuis in gloria.*

*Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie-
eleison.*

Pater noster. Ave Maria.

Vers. Et ne nos inducas in tētationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Vers. A porta inferi.

Resp. Erue Domine animam eius.

Vers. Requie æternam dona ei Domine.

Resp. Et lux perpetua luceat ei.

Vers. Requiescat in pace.

Resp. Amen.

Vers. Do.

Vers. Domine exaudi Orationem meam,

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum,

Resp. Et cum spiritu tuo.

Pro Episcopo vel sacerdote defuncto.

ORATIO.

DEus qui inter Apostolicos sacerdo-
tes, famulum tuum. N. Episcopali,
vel sacerdotali dignitate fecisti vigere,
præsta quæsumus, vt eorum quoque per-
petuo aggregetur consortio. Per Do-
minum nostrum.

Pro vno defuncto.

ORATIO.

INclina Domine aurem tuam ad pre-
ces nostras, quibus misericordiam
tuam supplices deprecamur, vt animam
famuli tui. N. quam de hoc sæculo mi-
grare iussisti, in pacis ac lucis regione
constituas, & sanctorum tuorum iu-
beas esse consortem. Per Dominum no-
strum.

Pro vna defuncta.

ORATIO.

Quæsumus Domine, pro tua pieta-
te, miserere animæ famulæ tuæ, &
à contagijs mortalitatis exuta, in eter-
næ

næ saluationis partem restitue. Per Dominum nostrum.

Profidelibus defunctis generalis.

O R A T I O.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt pijs supplicationibus consequantur. Per Dominum.

Vers. Requiescant in pace. Resp. Amen.

Deinde aspergatur & thurificetur vt supra

His peractis feretrum deportatur in Ecclesiam (cantoribus interim prosequentibus *Resp. Subuenite sancti &c.*) quo deposito in medio Ecclesie ita vt defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare maius, si verò fuerit sacerdos, vt dictum est, caput sit versus ipsum Altare, & cereis accensis circa corpus, statim nisi quid impediatur, dicatur officium mortuorum: ac dum in officio dicuntur Laudes, sacerdos cum ministris paratur ad celebrandum Missam solemnem pro defunctis, si tempus congruens fuerit.

POST

POST MISSAM.

Finita Missa sacerdos deposita casula, seu planeta, & manipulo, accipit pluuiiale nigri coloris, & Subdiaconus accipit Crucem & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti cum Cruce medius inter duos Acolythos seu Ceroferarios cum candelabris, & candelis accensis: & omnes alij de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, & stant in circuitu feretri: tum sequitur sacerdos cum Diacono, & assistente, alijsq; ministris, & facta reuerentia altari, sistit se contra crucem ad pedes defuncti, retro astantibus ei a sinistris duobus Acolythis uno cum thuribulo & manivula incensi, altero cum vase Aquae benedictae & aspersorio, & Acolytho seu Clerico tenente librum Absolute dicit sequentem Orationem.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo cum, quæsumus, tua iudicialis sententia premar, quem tibi vera supplicatio

tio

tio fidei Christianæ commendat : sed gratia tua illi succurrente mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Deinde cantatur Responsorium Libera me Domine.

Interim dum Resp. cantatur, Sacerdos Acolytho seu Diacono ministrante, accipit incensum de nauicula, & ponit in thuribulum, & finito responsorio cantor cum primo choro cantat Kyrie eleison & secundus chorus respondet: Christe eleison: deinde omnes simul dicunt: Kyrie eleison. Mox sacerdos dicit alta voce, Pater noster &c. & secreto dicitur ab omnibus: & ipse interim accipit à Diacono vel Acolytho aspersorium Aquæ benedictæ, & facta profunda inclinatione Cruci, quæ est ex aduerso, Diacono seu ministro genuflectente, & fimbrias pluuiæ subleuante: circumiens feretrum (si transit ante sacramentum genuflectit) aspergit corpus defuncti, deinde reuersus ad locum suum, Diacono ministrante; accipit thuribulum, & eodem modo circuit feretrum, & corpus incensat, ut asper-

*asper seriat: postea reddito thuribulo ei à quo
acceperat, stans in loco suo, Acolytho seu alio
ministro tenente librum apertum ante se
dicit.*

Vers. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Vers. A porta inferi.

Resp. Erue Domine animam eius.

Vers. Requiescat in pace. Resp. Amen.

Vers. Domine exaudi Orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

DEus cui propriū est misereri semper, & parcere: te supplices exoramus pro anima famuli tui. N. quam hodie de hoc sæculo migrare iussisti: vt nō tradas eam in manus inimici, neque obliuiscaris in finem: sed iubeas eam à Sanctis Angelis suscipi, & ad patriam Paradisi perducī; vt quia in te sperauit & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Christum Dn. nostrum. *Resp. Amen.*

Si

*Si defunctus fuerit sacerdos, in Oratio-
ne dicatur: pro anima famuli tui sacer-
dotis, quam hodie &c.*

IN IPSO LOCO SE- pulturæ

SE V

Quando defuncti corpus
fertur ad locum se-
pulchri.

His per actis, si tunc corpus defuncti
deferendum sit ad locum sepulture
inter portandum clerici cantant seu Sacer-
dos dicit sequentes Antiph.

In paradisum deducant te Angeli, in
tuo aduentu suscipiant te Martyres, &
perducant te in ciuitatem sanctam Hie-
rusalem, Chorus Angelorum te susci-
piat, & cum Lazaro quondam paupere,
æternam habeas requiem.

Cum autem peruenierit ad sepulchrum,
(si non est benedictum) sacerdos illud bene-
dicit dicens hanc Orationem.

G 2

ORÉ-

O R E M V S.

DEus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, hunc tumultum benedicere dignare, eique Angelum tuum sanctum deputa custodem, & quorum, quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolute vinculis delictorum, vt in te semper cum sanctis tuis sine fine latentur, Per Christum Dominum nostrum, *Resp.* Amen.

Postea aspergat, sepulchrum Aqua benedicta dicendo.

Sanctificetur illud sepulchrum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Corpore in sepulchrum demisso, aspergatur locus Aqua benedicta, dicente
parcho.

Hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua in sancta Sion. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Deinde trina immisione aliquantula terre loculum tegendo dicat sacerdos.

De terra plasmasti eum (*vel eam*) ossibus & neruis compegisti eum, (*vel eam*) Domine resuscita eum (*eam*) in nouissimo

simo

limo die. Per Iesum Christum Domi-
num nostrum. *Resp.* Amen.

*Demum apud quosdam consuevit sacerdos
facere signum Crucis super sepul-
chrum dicendo.*

Signum Saluatoris Domini nostri Ie-
su Christi sit signatum super te, qui in
hac imagine redemit te, nec permittat
angelum percutientem tibi nocere in
æternum. Pax tecum.

ALIVS MODVS SE- peliendi funus.

VEl Corpore in sepulchrum demisso, lo-
co præcedentium intonet sacerdos
Antiphonam: Ego sum resurrectio & di-
citur *Canticum* Benedictus cum repetitio-
ne *Antiph*: Ego sum resurrectio & vita
&c. *Postea sacerdos dicit*: Kyrie eleison,
Christe eleison. Kyrie eleison. Pater no-
ster. *interim corpus aspergit.* *vers.* Et ne
nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed
liberanos à malo. *vers.* A porta inferi.
Resp. Erue Domine animas eorum
vers. Requiescant in pace. *Resp.* Amen

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

O R E M V S.

FAC quæsumus Domine hanc cum seruo tuo defuncto (vel *famula tua defuncta*) misericordiam, vt factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui (vel *que*) tuam in votis tenuit voluntatem, vt sicut hic cum (vel *eam*) vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic cum (*eam*) tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen. *Vers.* *Requiem æternam dona ei Domine.* *Resp.* *Et lux perpetua luceat ei.* *Vers.* *Requiescat in pace.* *Resp.* *Amen.* *Vers.* Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.

Deinde à sepultura in Ecclesiam, vel in Sacristiam reuertentes, dicant sine cantu Antiph. Si iniquitates, cum Psalmo De profundis &c. Requiem æternam dona eis Domine, &c.

Iustis

Iustis his funeralibus persolutis, populus in pace dimittitur, aut pro consuetudine loci, si ante non factum, sacrum incipitur, aut comites funeris domum reducuntur in gloriam eius, qui deducit ad inferos & reducit. Missa tamen, si hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, non intermittatur, (etiam quantum fieri potest presente corpore) nisi obster magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat, ut post Missam fiat ut supra.

DE OFFICIO FACIENDO in exequijs absente Corpore defuncti, & in die tertio, septimo, trigesimo, & anniuersario.

SI facienda sint exequie absente corpore dicto officio defunctorum si dicendum sit & Missa, ea omnia fiunt quae supra titulo: Post Missam praescripta sunt

*sunt usque ad Orationem exclusiue tantum
cuius loco potest dici ea quæ dicta est in
Missa, vel alia conueniens, aut hæc subse-
quens.*

O R A T I O.

Absolue quæsumus Domine ani-
mam famuli tui (vel *famule tue*)
vt defunctus, (vel defuncta) sæculo tibi
uiuat, & peccata, quæ per fragilitatem
carnis humana conuersatione commi-
sit, tu uenia misericordissimæ pietatis
absterge. Per Christum Dn. nostrum.
Resp. Amen.

*Si officium fuerit pro pluribus defun-
ctis, Oratio & versus supra præscripti di-
cantur in plurali numero: si fuerit mulier,
in genere fæminino; si fuerit sacerdos vel
Episcopus, in Oratione exprimitur nomen
dignitatis, &c.*

*Prædictus autem Officij ritus pro defun-
ctis adultis tam sacerdotibus & Clericis,
quàm secularibus & laicis seruari debet in
Officio Sepulturæ in die depositionis, siue
in die tertio, septimo, trigesimo, & an-
niuersario.*

DE

DE EXEQVIIS Paruulorum.

PAruuli qui post Baptismum ante vsum
rationis eripiuntur, oratione Ecclesie
non indigent, quia nihil damnationis est in
his, qui sunt in Christo Iesu, & non secun-
dum carnem ambulant: & sicut iniu-
riam faceret martyri, qui pro martyre ora-
ret; ita innocentia Baptismali iniurius
esset, si quis eis salutis requiem precaretur,
qui innocentes, immaculati, puri, ac Deo di-
lecti, effecti, sunt coheredes Christi, ita ut
nihil prorsus eos ab ingressu cali remore-
tur.

Hinc iuxta vetustam & laudabilem Ec-
clesiarum consuetudinem, corpuscula eorum
non deberent sepeliri in communibus &
promiscuis camiteriorum & Ecclesiarum
sepulturis; sed ut pro illis in Parochialibus
Ecclesiis, aut illarum camiterijs: quatenus
commode fieri potest, speciales & separati
ab alijs loculi & sepultura haberentur, in
quibus non sepelirentur, nisi qui baptizati
essent

essent infantes, vel pueri ante annos discretionis obeuntes.

Quia tamen horum corpusculis, tanquam organis & vasis, sanctus infusus fuit Spiritus; etiam illorum funera officiosa sunt pietate curanda, in protestationem fidei, resurrectionis, & ad laudem diuine providentiae, sub qua & ista regeneratorum corpora requiescere creduntur.

Si pro laudabili cuiuscumque Ecclesiae more horum sepultura, vna cum Missa, exequijs, aut Psalmis pro fidelibus defunctis legi consuetis, quod abrogari debet, procuretur: tunc parochus in memoriam reuocet fidelibus, id quod dicit Augustinus: *Sacrificia siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum, quae pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis, gratiarum actiones sunt.* Et occasione huius paruuli, qui in albis ad dominum raptus est, oretur pro defunctis, qui precibus Ecclesiae indigent: idque piorum more; qui dum vni benefecit diuina Clementia illius occasione pro alio orare solent, vt ei similiter fiat.

OR-

ORDO SEPELIENDI paruulos.

Cum igitur infans vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis, induitur iuxta aetatem, & imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis & odoriferis in signum integritatis carnis & virginitatis, & parochus super pelliceo & stolla alba indutus, & alij de Clero, si adsint, praecedente Cruce, quae sine vel cum hasta defertur, accedunt ad domum defuncti, cum Clerico, seu ministro aspersorium deferente Sacerdos aspergit Corpus, deinde dicit, vel cantat.

Antiphona.

Sit nomen Domini.

Psalm. 112.

Laudate pueri Dominum &c. integre dicitur cum Gloria Patri & Filio &c. & repetitur. *Antiph.*

Sit

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Dum portatur ad Ecclesiam, vel cimiterium, dicatur Psalm. Beati immaculati &c. & si tempus superest, dici potest Psalm. Laudate Dominum de cælis cum alijs duobus sequentibus, & in fine Gloria Patri, &c.

Cum autem peruenerit ad Ecclesiam, vel cimiterium dicitur vel canitur.

Antiphona.

Hic accipiet.

Psalm. 23.

Domini est terra, & plenitudo eius:
Orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundauit eum:
& super flumina præparauit eum.

Quis ascendet in montem Domini:
aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus, & mundo corde:
qui non accepit in vano animam suam,
nec iurauit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino:
no:

no: & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei iacob.

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri.

Antiph.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo, quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Postea dicitur Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

Secreto interim corpus aspergit.

Verj. Et

Verf. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Resp. *Sed libera nos à malo.*

Verf. *Me autem propter innocentiam suscepisti.*

Resp. *Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.*

Verf. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum spiritu tuo.*

ORATIO.

OMnipotens & mitissime Deus, qui omnibus paruulis renatis fonte Baptismatis, dum migrant à sæculo, sine vllis eorum meritis vitam illicò largiris æternam, sicut animæ huius paruuli hodie credimus te fecisse: fac nos quæsumus Domine, per intercessionem beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum hic purificaristi tibi mentibus famulari, & in Paradiso cum beatis paruulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Dum portatur ad tumulum, & etiamsi tunc non portetur, dicatur vel canatur.

Antiph.

Antiph.

Iuuenes & virgines

*Psalm.*Laudate Dominum de cælis &c. *Et
in fine.* Gloria Patri.*& repetitur Antiph.*

Iuuenes & Virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini.

*Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.**Pater noster.**Vers. Et ne nos inducas in tentationem.**Resp. Sed libera nos à malo.**Vers. Sinite paruulos venire ad me**Resp. Talium est enim regnum cælorum.**Vers. Dominus vobiscum.**Resp. Et cum spiritu tuo.*

ORATIO.

OMnipotens sempiternæ Deus, sanctæ puritatis amator, qui animam huius paruuli ad cælorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es, digneris etiam Domine ita nobiscum misericorditer agere, vt meritis tuæ sanctissimæ Passionis, & intercessione B. Mariæ semper Virginis, & omniū Sanctorum

Etorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis & Electis tuis semper facias congaudere. Quis uiuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Deinde sacerdos corpus aspergat Aqua benedicta, & thurificet similiter, & tumulum dicens:

Sanctificetur sepulchrum istud. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Resp.* Amen.

Postea sepeliatur, & impala ter super iniiciat terram, dicens:

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Sacerdos signet cruce lignea sepulchrum dicens:

Signum Saluatoris ✠ Domini nostri Iesu Christi, sit signatum ✠ supra te, qui in hac imagine ✠ redemit te, nec permittet introire Angelum percutientem in æternum. Pax tecum.

Cum autem à sepultura reuertuntur in Ecclesiam dicatur, vel canatur.

Antiph.

Benedicite.

Can.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini
Domino: laudate & superexaltate
eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domi-
no: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super
cœlos sunt, Domino: benedicite om-
nes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino: be-
nedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Do-
mino: benedicite omnes spiritus Dei
Domino.

Benedicite ignis & æstus Domino:
benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores & pruina Domi-
no: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & niues Domi-
no: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domi-
no: benedicite fulgura & nubes Do-
mino.

Benedicat terra Dominum: laudet
& superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles Domi-

H

no: be-

no: benedicite vniuersa germinantia
in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedi-
cite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ mo-
uentur in aquis, Domino: benedicite
omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestia & pecora
Domino: benedicite filij hominum
Domino.

Benedicat Israël Dominum: laudet
& superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Do-
mino: benedicite serui Domini Do-
mino.

Benedicite spiritus & animæ iusto-
rum Domino: benedicite sancti & hu-
miles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël,
Domino: laudate & superexaltate eum
in sæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum
sancto Spiritu: laudemus & superexal-
temus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamen-
to cæli: & laudabilis, & gloriosus, & su-
perexaltatus in sæcula.

Antiph.

Antiph. repetitur.

Benedicite Dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

Deinde ante Altare dicit
Sacerdos.

Verf. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

O R E M V S.

DEVS qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq; dispensas; concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniantur. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

ORDO SEPULTURÆ paruulorum,

Breuior, & minus solemnis.

IN domo paruuli mortui, aut ad portas Cœmiterij vbi funus positum est, dicat Sacerdos, super pelliceo & stola alba indutus, quæ sequuntur.

H 2

Antiph.

Antiphona.

Sit nomen Domini, &c.

Psalm. 112.

Laudate pueri Dominum: laudate
nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex
hoc nunc & vsque in sæculum.

A solis ortu vsque ad occasum: lau-
dabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Do-
minus: & super cœlos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster,
qui in altis habitat: & humilia respicit
in cœlo & in terra?

Suscitans à terra inopem: & de ster-
core erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus:
cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in do-
mo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri.

Repetitur Antiphona.

Sit nomen Domini benedictum: ex
hoc nunc & vsque in sæculum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie
eleyson. *Pater noster.*

Vers.

Verf. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Verf. Me autem propter innocentiam suscepisti.

Resp. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

O R E M V S.

OMnipotens sempiterne DEVS, sanctæ puritatis amator, qui animam huius paruuli ad cœlorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es: digneris etiam nobiscum misericorditer agere, vt meritis tuæ Sanctissimæ passionis in eodem regno nos cum omnibus sanctis & dilectis tuis semper facias gaudere. Qui viuis & regnas &c.

Verf. Benedicamus Domino.

Resp. Deo gratias.

Postea fiat thurificatio eodem modo, quæ supra super adultos, proyiciendo etiam ter-

ram super funas paruuli in sepulchro positum, dicat Sacerdos tribus vicibus.

Sume terra quod tuum est, sumat Christus quod suum est, caro de terra creata est, Spiritus de sursum inspiratus est.

Deinde ubi consuetudo loci habet, occasione huius infantis, oretur pro fidelibus defunctis, horteturq; Sacerdos circumstantes dicendo.

Oremus dilectissimi pro huius paruuli propinquis, & omnibus fidelibus defunctis, in spe misericordiae requiescentibus.

Deinde legat Psalmos: *Miserere: & De profundis* concludendo. *Requiem eternam dona &c. Kyrie eleyson. Christe eleison. Pater noster.*

Verf. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Resp. *Sed libera nos à malo.*

Verf. *A porta inferi.*

Resp. *Erue Domine animas eorum.*

Verf. *Domine exaudi orationem meam.*

Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Verf. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum spiritu tuo.*

ORE-

O R E M V S.

DEVS cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis omnibus, hic & vbique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eundem Christum &c.

Verf. *Requiescant in pace.* Resp. *Amen.*

DE SEPULTURA

paruulorum non baptizatorum.

Pueruli, vel sanctorum hominum filij, & quicumque alij ex hac vita sine baptismo migrantes, in loco sacro sepeliri non debent. Estq; in ijs obseruandus Canon. 35. Concilij I. Braccarenensis: *Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis, non oblationis sanctæ commemoratio, nec psaltendi impendatur officium. Nec tamen sunt eorum corpora insepulta proyicienda more belluarum, propter humana naturæ dignitatem, sed in loco honesto recondenda; quod fiat sine vllis precibus, ac solemnitate à laico, nec quisquam ex clero, etiam vocatus, prophana sepultura intersit.*

DE PRECIBVS
 QVADRAGINTA
 Horarum.

Antiqua consuetudo in Ecclesia Dei certis horis orandi in sacris literis fundata, tandem ad 40. horas, per tres dies continuos distributas, piorum & Sanctorum virorum Religione ac zelo, praesertim sancti Caroli Borromaei Archiepiscopi Mediolanensis, & S. R. E. Cardinalis, pietate inoleuit, augmentumq; sumpsit; quam etiam Summi Pontifices, Indulgentias plenarias orantibus concedendo, ut scilicet, eo magis per paenitentiam Deo coniungerentur, mirè per totum terrarum Orbem promouerunt: Eo scilicet consilio, ut in memoriam Christi Saluatoris Nostri fieret, qui 40. diebus quieuit in stabulo, 40. diebus orauit, & ieiunauit in solitudine, idq; tempus exegit post resurrectionem suam per dies 40. apparens Apostolis suis, & loquens de Regno Dei. Act. I. v. 3.

Nec sine singulari fructu tam spirituali, quam temporali id factum est, plurima
 enim

enim extant exempla, non solum multarum millium animarum ad salutem eternam per hanc orationem perductarum, & vitia superata ac eradicata, consolationes etiam in aduersitatibus animi à Deo impetratas esse, verum integræ Vrbes ac Prouinciæ ab Hostibus defensæ, à periculis liberatæ, à peste & fame conseruatæ &c. abundè testantur.

Hanc igitur Orationem Roma postmodum cæpit per totius anni spatium in singulis Ecclesiis certo ordine præscripto continuam indicere, & obseruare; quem morem sancta Coloniensis Ciuitas, quæ uti sanctitatis bina gerens testimonia, postquam fidem suscepit, recidiua non fuit, sed in fide stabilis semper permansit, ita etiam Romanam, tanquam omnium Ecclesiarum Matrem, piè emulata, ex præscripto Serenissimi & Reuerendissimi Principis, ac Domini D. Ferdinandi Bauariæ Ducis, tunc temporis Coadiutoris & Administratoris, nunc autem Archiepiscopi & Electoris, triginta iam usurpat annis, & fructum præsertim hoc bellorum tumultuosissimo tempore, præ alijs, totius Germaniæ locis, sentit uberrimum: pro ut & tota Patria, quæ eiusdem Serenissimæ suæ Celsitud. raro exemplo, ac mandato

H S dictas

dictas preces, vel 10. vel 40. horarum, in singulis Ecclesijs sæpius per annum instituit.

Vt autem ordinatè omnia decenterq̄, & cum fructu præsertim spirituali fiant, sequentes Regula, seu instructio modusq̄ conscriptus fuit, quem tum Ecclesiarum Prælati ac Rectors, tum Parochi ipsi, & Parochiani diligenter in omnibus observabunt.

I. Decretum itaque à Superioribus editum, quo Processiones vel preces fieri mandantur, post concionem legatur præcedenti 40. horas Dominica vel Festo, nec non concio ad eam intentionem dirigatur pro instructione plebis; quæ sedulò ad seriam peccatorum confessionem & sacram Communionem excitari debet; etiam ad lucrandas Indulgentias, si à sede Apostolica concessæ sint.

Pridie eius diei, in qua 40. horarum preces inchoandæ, à Custode illius Ecclesiæ, ubi preces huiusmodi servandæ sunt, circa meridiem & vesperam, sicut & tribus diebus singulis sequentibus, mane ad expositionem Venerabilis

bilis Sacramenti, & repositionem eiusdem vesperi, ac meridiano tempore compulfabuntur omnes campanæ ad inuitandum populum: fimiliter vltimo quadrante ante quamlibet horam per breue temporis spatium dabitur signum vnâ saltem, eaq; maiori campanâ, vt ij, quorum interest distinctis temporibus accedere, vel recedere accuratius possint ordinem seruando, modumq; successiuum.

3. Purganda itidem præcedentibus diebus à sordibus, & ornanda decenter Ecclesia, maximè tamen Altare maius (vel aliud quod magis pateat oculis & totius populi deuotioni, vbi hoc triduo ponendum erit Venerabile Sacramentum) sacris imaginibus, tapetibus, floribus, arboribus &c. nisi paupertas & anni ætas ita fieri prohibeat.

4. Proindè vt omnia facilius, & ordine maiori obseruentur, curam adhibebunt Pastores, Ecclesiarumque Rectores, vt omnium suorum Subditorum nomina vno Cathalogo comprehensa (qui in hunc finem confici omnino debet ac publicari) in singulas dies
horas

horas toto hoc triduo ita distribuant, vt hac ratione edocti & admoniti, saltem bini & binæ ex vtroq; sexu communitatis geniculantes, vel etiam plures pro numero & qualitate Christi fidelium sibi subditorū in templo quolibet hora iuxta partitionem propius Altare in pulpitis flexorijs compareāt, ac contrito & humili corde tantillo temporis spatio genuflexi coram Venerabili Deum precentur, etiam subinde legendo voce clara & lingua vernacula, si ita instructi sint, vel Lytanas omnium Sanctorum aut Diuæ Virginis, vel quasuis pro deuotione preces ad finem huiusmodi inseruientes, nec ausint recedere prius, quàm finita hora alij successerint.

5. Sæpius itaque de die Ecclesiarum Rectores & locorum Parochi templū ingressi, suos inuisant, ac etiam per Ædiles, Scabinos Synodales & Custodem attendi faciant, & si quos fortè hac in parte negligentiores aut contumaces depræhenderint, eosdem pœna arbitraria, in vsum fabricæ Ecclesiæ mulctatos, omnino puniant.

Ne-

6. Neque intermittant pro maiori in Deum charitate, & in patriam pietate, vicinos tam Clericos & Religiosos, quam etiam Sæculares, humaniter inuitare.

7. Ecclesiarum vero suarum beneficiatos seu Officiatos omnino tempestiuè conuocent, & adhortentur, vt sibi toto hoc triduo in obeundis infra-scriptis actibus, Missarumq; celebratione diligenter assistant, eo ordine, quem Prælatus, Pastor, aut Superior loci inter ipsos constituerit: In Collegiatis autem maximè Ecclesijs, vbi copiosior Clerus, fiat per affixam in choro aut Sacristia scedam commoda eaq; ordinata temporis, horarumq; ac Officiorum distributio, expressis etiam & specificatis singulorum nominibus. In quo nemo se difficilem reddet, sed pro suo statu & aliorum exemplo, vel per se, vel per alium Sacerdotem ea præstabit, ne scandalum aut confusio oriatur; quod tamen si fiat, in eos à Superioribus animaduertatur.

8. Sacerdotes alij omnes tam Sæculares, quam Regulares cuiusq; loci pro
sua

sua in Deum charitate, & in Patriam pietate sæpius Tempora precibus 40. Horarum assignata inuisant, ibique Sacrum pro sua commoditate celebrent, cum ut populus Fidelis hoc exemplo excitetur, tum ne Tempora hæc sacris careant, & ea frequentantes sua frustrentur deuotione.

9. Triduo hoc ante vel sub sacro semper conentur ad populum piam aliquam exhortationem, non tamen ultra mediam horam vel facere, vel fieri diebus etiam, præsertim festiuis, ante vel post vespèras, & repositionem Venerabilis Sacramenti; sed vltima die vno tantum quadrante horæ pie aliquid dicere populo præsenti, de utilitate, ac necessitate orationis, detestatione peccatorum, diuina ira, pœnis, misericordia impetranda, periculis &c. *Stabit verò is, qui facit huiusmodi exhortationem, non in cathedra seu suggestu aliquo aut pulpito ut aliàs, sed in cornu Euangelij apud Altare, in quo Venerabile est expositum (si commode audiri inde ab omnibus possit) ne renes eidem vertat, non tecto sed nudato semper capi-*

capite, ob reuerentiam Eiusdem, indutus superpelliceo cum stola pendente à collo.

Conueniret insuper, ut coram Sacramento in Altari exposito Clerici habitus suo choralis induti dum diuina peraguntur, & cantantur horæ, starent omnes: quod si sedeant, caput tamen non tegant.

Notent hic Sacristæ, seu custodes Ecclesiarum, quibus ex officio incumbit diligentem prædicti Altaris curam habere, ut in ordinario suo & decenti semper habitu coram Augustissimo compareant cotta seu superpelliceis induti: nec permittant prope Altare hoc curiosè multum diuagari eos, & nimis approximare (feminas præsertim) tam Sancto loco, qui rem diuinam potius interturbant.

io. Mane itaq; hora quinta exponetur Venerabile hoc modo: Sacerdos indutus superpelliceo & stolâ, ac etiam pluuiali (si haberi possit) comitante Clero, vel Ecclesiasticis Personis, quæ Ecclesiæ seruire debent vel alias adsunt procedit ex Sacristia præcedentibus

tibus Ministris ceroferarijs, qui candelas accensas habeant, versus Altare summum, in cuius infimo gradu genuflexus tantisper orat, surgens accedit capsulam seu Tabernaculum, in quo Venerabile asseruatur, illudq; clausum aperit, facta prius Venerabili Sacramento ad terram vsque reuerentia, mox stans imponit ipsemet (ne permittat Custodem id facere) incensum in Thuribulum à Ministro sibi oblatum, atque ibidem incensat Venerabile genuflexus decenter triplici ductu: deinde surgens vtraque manu reuerenter & decenti mora illud reportat (nisi Tabernaculum sit in ipsomet Altari summo) ad medium Altaris, in cuius supremo gradu subsistit, facie versa ad populum, adhuc tenens Venerabile, & incipit cantare alta voce *Verf. Tantum ergo &c.* ex Hymno *Pange lingua*, ac vnica tunc data benedictione repositum Venerabile Sacramentum super corporali in medio Altaris inter Candelabra & candelas accensas (quæ saltem binæ vtrimque per totius diei decursum vsque ad repositionem eius-

Eiusdem vesperi, sub diuinis officiis autem plures, si haberi possint, nunquam non ardeat: denuo genuflexus in summo itidem gradu Altaris incensat triplici ductu, vt prius: Inclinans etiam caput suum profundè ante & post incensationem, quod semper obseruandum. 11. Post hæc statim prosequitur SS. Litanias cum Psalm. versiculis & orationibus; designatis supra hoc libello sub diuersis titulis, prout etiam erit precum habendarum intentio.

12. Quibus finitis faciat aliquid pie cantari à populo, & postea recedat, remanentibus tamen ijs, qui ad eam horam oratione complendam, adscripti sunt.

13. Sacrum his tribus diebus continuis, cui interesse debent omnes cantabitur per aliquẽ Sacerdotem pro necessitatib. Ecclesiæ ea ratione & modo qui præscribitur inferius Titulo, *Ritus vel modus celebrandi coram Venerabili.*

14. Non intermittant tamen Rectores Ecclesiarum curare interim sacra illa, aut cantari, aut legi, vel per se vel per substitutum, ad quæ alioquin cantanda

tanda aut dicenda talibus diebus ex obligatione forsan tenentur.

15. Ante dictum sacrum Lytaniæ iterum, vti & mane factum, recitentur, cū Psalm. & suis vers. ac Collectis in decreto assignatis: Officians autem tunc Sacerdotalibus paramentis omnino indutus sit, præter Manipulum, quod resumet in fine Collectarum, ad inchoandam post preces huiusmodi continuo stando ad infimum gradum Altaris confessionem, & sacrum solemne.

16. Vesperæ etiam cantabuntur hora tertia coram Venerabili (quod incensabitur tam hic sub *cantic. Magnificat*, quam etiam mane ad Laudes sub *cantic. Benedictus*) singulis his diebus, in Ecclesiis vbi moris est, quibus interfit totus similiter Clerus & populus ad exorandam diuinam Maiestatem tanto promptior. Vbi verò id fieri nequit, saltem Hymni à Clero Antip. & Respons. vel quæ alias cantari solent, & quæ populus laudabiliter consuevit, pie & deuotè lingua vernacula per horam integram decantentur.

17. Similiter hora quinta vsq; ad sextam

tam

tam vespertinam, sed vltima die, à sexta vsque ad septimam inclusiue decantetur Completorium & alia, vbi verò non est Ecclesia Collegiata, Conuentualis seu Regularis, vel penuria Sacerdotum aut Cantorum, cantabuntur tantù loco Completorij Lytaniæ Diuæ Virginis cù Collectis consuetis, vt supra quibus iterum addi poterunt Hymni, aliaque Responsoria aut Cãtiunculæ temporì cõuenientes. Sub finem denique eodem ritu, per eosdem ministros, vti & mane incensato Venerabili cantabitur ter ab officiatore: *Defensor noster aspice.* & semel *Genitori,* &c. in cuius fine tantum dabitur Benedictio; qua data reponetur Venerabile in Tabernaculum, & rursus incensabitur flexis genibus.

Notandum tamen quod vltima die Lytaniæ B. Virginis cantentur seu dicantur vsque ad collectas exclusiue, quibus finitis incensatur ter Venerabile Sacramentum postquam incensationem instituetur etiam Processio, vbi commode id fieri potest, vel per templum vel per Cœmiterium, pro loci & temporis opportunitate, prosequendo interim

I 2 Hym-

Hymnum *Pange lingua* &c. quē Sacerdos Venerabile deportans, canere incipit. Quādo Processio reuertitur ad Ecclesiam & Altare; cantatur vers. *Panem de caelo* &c. Resp. *Omne delectamentū* &c. Officiator dicit collectam de Venerabili Sacramento, & reliquas post Litanias supra positas; posthæc thurificato Venerabili incipit canere ter vti hic superius annotatur, ac in fine Processionis subiungentur reliqua prædicta: quibus peractis, repositoq; & vltimate incensato Venerabili, Sacerdos apud Altare stans inchoabit, *Te Deum laudamus.* in cuius fine addantur Collectæ pro gratiarum actione.

18. Collegiatæ Ecclesiæ, Regulares quoque omnes vtriusque sexus prætactum modum & ordinem, quantū quidem status ipsorum conditio, aut sexus permittit obseruare studeant; in Ecclesiis etiam propriis nequaquam autem permittant vlla diei hora Venerabile Sacramentum ita solitarium in Altari stare, quin saltem vna vel altera ex domo persona adoret, Deumque exorare studeat, etiam sæpius de die.

19. Con-

19. Confraternitates sacræ, & quæuis locorum Religiosorum sodalitia, si quæ alicubi sunt, vt pio cæteris præluceant obsequio, non intermittant præfixa sibi hora obnixè comparere.

20. Monentur autè Confratres Confraternitatis Venerabilis Sacramenti, vt cæteris in pio hæc obsequio præluceant. Pastores verò vt in suis Ecclesiis, præsertim magis populosis vnâ vtriusque sexus Christifidelium Confraternitatem Venerab. Sacramenti, si ubi nondum est erecta, curent legitima auctoritate erigi, ad eorundem Christifidelium deuotionem erga augustissimum Eucharistiæ Sacramentum magis magisque promouendum.

21. Studiosis etiam, nec non scholaribus, Catechismis, & quibuslibet Christianæ Iuuentutis paruulis, quos iuxta præceptum Dominicum ad Christum venire sinamus, vt ad obsequium Dei & pietatem adducantur, singulares & certæ quoque horæ præfigantur, & ad Ecclesiam solenniter deducantur.

22. Optandum plane foret, vt quando Oratio pro necessitatib. instituitur,

Ieiunium & Eleemosyna geminae quasi alae orationi coniungerentur. Quare serio omnes saltem ab omni prorsus computatione & ludis abstineant, neque vlla conuiuia quouis modo, seu Nuptiarum, vel Baptismatis, siue fraternitatis alicuius pretextu, aut alia quauis ratione, cuius cuiuscunque etiam conditionis is sit, tali saltem triduo parare liceat, sub graui poena parantis & interuenientium vsui sacro applicanda.

23. Aduertendum etiam est, vt in ciuitate vel loco vbi Oratio 40. horarum habetur, ex mandato ordinarij, non fiat oratio similis in alijs Ecclesijs etiam regularibus extraordinaria, sine expressa licentia, nec facile exponatur solenniter Venerabile, ne populus distrahatur.

24. Porta templi vbi est Oratio pridie, si fieri possit, apponatur aliquod signum vel ornatus, vel tabula inscripta, vt populus transiens hoc triduo scire possit ibi orationem fieri, & ad eam deuotionem eo magis inducatur.

RITVS VEL MODVS
celebrandi coram Venerabili.*Seu*

De his quæ addenda sunt in Missa,
quæ celebratur ad Altare, in quo ex-
positum est sanctissimum Sa-
cramentum.

Desideratur hic titulus in Rubricis Missa-
libus à multis; de quo hoc loco, ne desi-
deretur amplius: sed *in cerem. Episc. lib. 1. cap.*
12. optimè monemur ex antiquorum docu-
mentis, vt abstineamus à Missa celebranda co-
ram Sacramento, quantum fieri potest etiam
in suo Tabernaculo occluso. Quod si ferat ne-
cessitas, vel suadeat alia iusta causa, puta, infra
Octauam Corporis Christi, & tempore publi-
cæ Orationis 40. horarum; eo casu genufle-
xiones omnes, & actus reuerentiales debiti di-
ligenter sunt obseruandi: quos varijs in libris
Ritualibus præscriptos, & sparsim, hoc loco
collegimus.

In primis igitur illud est notandum, quod
pro exponendo Sacramento in Altari pro ini-
tio 40. Horarum vel spiritualium exercitatio-
num cantari debet Missa Votiuæ de Sacramen-
to, quæ habetur circa finem Missalis, non au-

tem festiua Corporis Christi (nisi infra Octa-
uam eiusdem Festi calus accideret) & tempo-
re Paschali addendum erit Alleluia, vt fit in a-
lijs votiujs Missis.

Dicitur in tali Missa vna tantum Oratio cū
Gloria, Credo, & Præfatione de Natiuitate,
quia solet esse publica causa: non autem pri-
uatis Missis hæc conueniunt. Alijs autem die-
bus seu temporibus, si forsan cantentur Missæ,
vel pro Pace, aut Tempore Belli, seu pro qua-
cunque necessitate similiter Votiuæ, quæ lu-
ctum potius significant & tristitiam, propter
quam etiam adhiberi oportet colorem viola-
ceum) intermisso Gloria & Credo, vt in die-
bus Rogationum canitur Missa sine tali solem-
nitate: nisi fiat pro gratiarum actione vel si-
milis.

Nota autem quod propter huiusmodi Mis-
sas Votiuas in Collegiatis Missa Conuentualis
de die à Canonicis intermitteri non possit, cum
debeat semper cum Officio concordare, *cap.
cum Creatura de celebrat. Miss.* vbi verbum *Man-
damus* obligat ad mortale, *ex Bonacin. de Leg.
disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4. n. 7. cum communi; & in
cap. Quidam. & in cap. Et hoc, de Consecrat. Dist.
1. Lege Azor. lib. 10. cap. 32. q. 7. & nota quod
neque omitti potest pro Missa Defunctorum,
in d. cap. Cum Creatura.*

Ex quibus sacra rituum Congregatio die 25.
Iunij 1611. & die 28. Ianuarij 1612. decreuit, te-
neri Canonicos omnino ad cantandam Missam

de

de die, vt lucrentur distributiones. & die 16. Ianuar, 1627. duo respondit. Alterum quod ob Missam talem Votiuam, seu pro Defunctis, nō potest omitti Missa Conuentualis. Alterum est, quod neque potest introduci consuetudo in contrarium ritum. Et quoad illud primū perstitit in eadem sententia die 12. Iulij 1628.

Si quandoq; contingat Missa eiusmodi votiuā in Festo omnino solemni vt vocant primæ vel secundæ classis, vel in Dominica tali Priuilegiata, v.g. Prima Aduentus, Prima Quadragessimæ, Dominica Passionis, Palmarum, in Albis, &c. tum in Collegiatis vel duæ cantentur Missæ, altera de Festo, seu Dominica horarum tempore debito & consueto; altera Votiuā de Sacramento post Nonam, vel vna cantetur de die cum commemoratione SS. Sacramenti; quod Romæ fit in Cappella Papæ in Prima Dom. Aduentus, & in alijs diebus Festis solemnibus in Ecclesijs maioribus Urbis.

In ingressu Celebrantis & ministrorum ad Altare, in quo patet Sacramentum, omnes debent genuflectere in plano Capellæ utroque genu. Facta verò confessione, ascendunt ad Altare, vbi deinceps genuflectunt vnico genu, vt expeditiores sint; & celebrans dicit: *Oramus te Domine*, vt aliàs.

Incenlatio Altaris fit de more stante Sacerdote dum benedicit incensum; quod item de more benedicatur *ex ceremon. Episcop. lib. I. c. 23.* quia Altare & celebrans etiam thurificari debent.

Pro Cruce, quæ adesse non debet, incensatur Sacramentum à celebrante super altiorem Altaris gradum cum Ministris genuflexo. Neque Diaconus osculari quidquam debet in hac Missa, quod tradi debeat celebranti; neq; manus item celebrantis in traditione rerum, ob apertam præsentiam SS. Sacramenti: quod expresse dicitur in cærimonial. Episcop. lib. 27. cap. 33. *Absque osculo, inquit, cochlearis & manus.*

Cum incensandus est celebrans, reddito Thuribulo in cornu Epistolæ, vt moris est, descendit, & sistit se apud idem cornu, facie versa ad populum, aduertens, ne, dum mouet se, terga vertat Sacramento, & ibi à Diacono econtra stante in plano Capellæ incensatur. quod erit quoque obseruandum in altera incensatione ad Offertorium, & ibidem lauat manus. Eadem enim est ratio exeundi extra Altare tam pro incensatione, quam pro ablutione manuum celebrantis: & vtrumque seruatur in vrbe.

Accedens ad medium Altaris, & recedens à medio, vel transiens ante medium toties quoties, semper genuflectit celebrans vnico genu: quod & Ministri obseruant.

Conuertens se ad populum dicturus *Domine vobiscum*, seu alia, facta genuflexione post osculum Altaris, sistit se renibus versis ad Euangelij cornu; tum facta iterum genuflexione in medio, redit ad librum seu Altare.

In incensatione oblatorum benedicit incensum de more, & sine genuflexione incensat oblata:

lata: tum genuflexus super altiorem gradum, vt supra, incensat Sacramentum vt initio Missæ. Diaconus non amouet calicem de medio, quia nullum est periculum hic effusionis eius.

Dicitur *Orate fratres* à Celebrante, vbi *Dominus vobiscum*, sed non perficitur circulus, rursusq; genuflectitur, quia reditur ad medium.

Reliqua vsque ad Communionem inclusive fiunt vt in alijs Missis: à Communionem ad finem Missæ fiunt genuflexiones & conuersiones ad populum, vti supra dictum est.

In benedictione populo danda, dicto *Omnipotens Deus*, genuflectit Celebrans, & in latere Euangelij benedicit, non perficit circulum, neque in medio genuflectit, sed in eodem latere cõuersus statim ad Altare signat librum, seu Tabellam Euangelij vltimi, non Altare, quamuis Sacramentum esset altius Altari: est enim ac si esset in Altari, & ratio est, quia ibi immediate adest Auctor benedictionum. Ad verba, *Et Verbum Caro factum est*, genuflectat Celebrans cum Ministris paulò versus Sacramentum.

Recedit cum Ministris ab Altari, cum genuflexione in plano Capellæ vtroque genu facta, vel si facienda sit aliquando Processio, pro fine Orationis alicuius publicæ, facta prope Altare genuflexione in medio, descendit extra cornu Epistolæ, vbi depositis manipulis à se, & à Ministris cum Calula, induit Celebrans pluuiale, & cætera facit quæ ad processionem spectant, de qua supra in festo S. Marci.

In Missa priuata, quæ tamen quàm parcissimè celebranda erit in Altari, in quo sacra Eucharistia est exposita, eadem obseruari debent, quæ supra diximus, demptis ijs quæ sunt propria solemnæ Missæ.

Neque illud omittendum quod præscribitur de manuum ablutione extra Altare, quæ eodem modo fieri debet à Celebrante, quem supra de incensatione Celebrantis posuimus.

Præstaret vt coram Augustissimo pro Precibus horarijs in Altari exposito, Eucharistiæ distributio, ad vitandam irreuerentiam ob populi communionem, non fieret; sed alio commodiori in eum finem deputato, debitè etiam ac decenter luminibus, & alijs requisitis instructo.

Extra Missarum solemnæ in sæpe memorato Altari utensilia Missæ, vt calix, vestes sacerdotales, ampullæ, legile, seu puluinar, & similia, nunquam remaneant.

Neque licitum est vlli Sacerdotum sacras vestes pro Missa dicenda, seu præsentè, siue absente Venerabili induere in ipso Altari, id enim concernit Episcopalem dignitatem.

DE PRECIBVS

decem Horarum.

Solent sæpius vel ex priuata deuotione & approbata consuetudine locorum, vel ex mandato Superiorum seruari preces per decem tantum horas diebus festiuis, idque vel improuisa necessitate incumbente, vel ne populus diebus ferialibus toties à necessarijs operibus per 40. horas impediatur, & vt diebus festiuis tanto magis & feruentius ac frequentius cultui diuino spiritualibusque rebus vacet.

In talibus orationibus omnia fiant, vt vltima die in precibus 40. horarum supra designauimus: hoc solum attendendum, vt horæ decem tantum ab Expositione Venerabilis Sacramenti vsque ad repositionem insumantur: Preces Litanij subiuugendæ erunt illæ, quas ex annotationis supra causa & intentio precum institutarum requirunt.

DE ALIIS ORATIONIBUS,

Consuevit nonnunquam ratione festi alicuius Ecclesiæ vel Religiosi Ordinis, aut etiam ob aliquam priuatam probatam tamen & laudabilem deuotionẽ Venerab. Sacramentum mane, vel tantũ ante summum Sacrum exponi, & post illud, vel post Vesperas statim reponi & recludi, nullo certo horarum numero seruato, sed tantum habita ratione Sacri vel Vesperarum; & tunc in expositione, Processione, si habeatur, & repositione omnia ea fiant, quæ supra annotata sunt tam circa preces 40. & 10. horarum, quam circa Missam seruandam coram Venerabili Sacramento.


Aduertendum tamen est, ne sanctissimum Sacramentum sine decenti ornatu, luminibus sufficientibus, & in Altari vel loco minus conuenienti, vbi periculum alicuius irreuerentiæ esse potest, relinquatur. Corporale seu palla Monstrantiæ semper sit substrata, vt iam monuimus; & velum longum eidem Tabernaculo, quod hinc inde apte cadat versus Altaris latera, & à posteriore parte Tabernaculi, seu umbellula superaddatur superimpedens. emineat quoque locus supra locum Reliquiarum forte in Altari locatarum.

Sed

Sed hic valdè notandum est, quod Nicolaus Cusanus in suis Statutis Prouincialibus Anno 1452. Colonix celebratis statuit ad maiorem honorem Sanctissimi Sacramenti, vt deinceps ipsum SS. Sacramentum nullatenus visibiliter in quibuscunque Monstrantijs ponatur aut deferatur nisi in Festo sanctissimi Corporis Christi cum suis Octauis, & extra huiusmodi festa cum suis Octauis semel in anno, in qualibet ciuitate aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarij, aut aliàs pro pace vel alia necessitate imminente, ex indispositione Rempublicam prægrauante: & tunc cum summa reuerentia atque deuotione.

F I N I S.





Th
2218